



Specimen ethico-theologicum de Moyse Amyraldo, ethices christianae doctore

<https://hdl.handle.net/1874/300175>

SPECIMEN ETHICO-THEOLOGICUM
DE
MOYSE AMYRALDO,
ETHICES CHRISTIANAE DOCTORE,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

in Academia Rheno-Trajectina,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

ARENTIUS DROST, DIONYSII F.

AMSTELODAMENSIS,

A. D. XXI M. JUNII ANNI MDCCCLIX, HORA II.

AMSTELODAMI,

APUD FRATRES KOSTER, TYPOGR.

MDCCCLIX.

STUDY OF ETHIOPIAN HISTORY

MOYSE AMARALDO

STUDY OF ETHIOPIAN HISTORY

AMARALDO MOYSE

BENEFIT OF THE LAW

PARTIAL

THE

AMARALDO MOYSE

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS

SACRUM.

BAARSTEDT
OPLERK. KAPITEL

PRAEFATIO.

Quaerenti mihi argumentum, de quo Specimen meum Academicum conscriberem, contigit forte, ut oculos converterem in Scholam theologicam Salmuriensem; hujusque deinde historiam data opera perquirenti, haud parum arrisere mihi et haec Schola universa, et praecipue, qui diu illius ornamentum fuit, *Moses Amyraldus*. Quum igitur perspicerem summi hujus viri vitam et dogmaticas opiniones praesertim nostris diebus optime expositas et dijudicatas esse, singularia vero ipsius in *Ethicen Christianam* merita varias ob causas aequo minus adhuc celebrata et nota esse, mox ceteris nonnullis, quae mente revolvebam, rejectis argumentis, hoc tractandum arripui et de *Amyraldi* in *Ethicen Christianam* meritis agere constitui. Ita meus hic juvenilis labor ceterorum opera quodammodo compleat, et viri de omnibus fere Theologiae disciplinis egregie meriti magis absoluta conficiatur imago.

Et ubi nunc eo usque perveni, ut meae qualicunque huic Disquisitioni finem imposuerim, eamque publico submissurus sim examini, ad summos in Theologia capessendos honores, lubens hac opportunitate utor, ut publice gratias agam praeceptoribus meis, atque iis omnibus, qui studiis meis suo quisque modo faverunt.

Sed antequam praeceptores alloquor, ad Vos me convertere jubet animus, dilectissimi Parentes! Vestram curam, vestra beneficentia, vestrum amorem meritone extollere et exultare conabor? Vos tunc quid a me non requiritis, et ipse intimis medullis persuasum mihi habeo, irritum prorsus fore talem conatum! Grati autem animi testimonium accipite precor, quas hic Vobis dico, primitias studiorum meorum theologicorum, quibus me vitam viresque devovisse, bene scio quantopere Vobis quoque acceptum sit! Pater Coelestis mihi fratribusque meis diu jam incolumes Vos servet, et hoc ardens votum nostrum ratum faciat: ut boni Parentes semper, immo in dies magis, bonos nos habeatis filios!

Parentibus carissimis exceptis, nemini sane plures gratias solvendas habeo, quam Tibi, amicissime TER HAAR! Tua utilissima institutione puer usus sum, et in Ecclesiae Christianae communionem Tu privatim et publice me recepisti; postea huc profectus et Theologiae studiis incumbens, denuo Te praeceptorem et duces habui; Tu specimen mei argumentum mihi commendasti et hisce diebus Promotoris munus et lubens suscepisti, et, plurimis quamvis laboribus obrutus, mea laude dignius implevisti. Gratias meas accipe, Vir aestimatissime! quam maximas cum pro institutione tua, tum pro tot amicitiae testimoniis, quae nunquam non mihi largitus es! Amicitia tua etiam in posterum me ornare pergas, bonisque tuis consiliis semper mihi adsis, enixe rogo. Tibi autem adsit D. O. M.; diu Tibi Ille conservet corporis animique vires, omnibusque tuis propitius adsit conatibus ad scientiarum et Ecclesiae usum et emolumentum!

Studiorum meorum curriculum mente perlustrans, eos omnes in memoriam mihi revoco, quorum praestantissimae doctrinae fructibus usus sum, quum propaedeuticis studiis operam navarem, et sponte mihi succurrat nomen tuum, doctissime VEEGENS! tuum, clarissime HULLEMAN! vestrum, Viri clarissimi, qui in Athenaeo Amstelodamensi Literas docetis Humaniores! Quid Vobis omnibus debeam non facile me obliturum fore credatis!

Latam Theologiae campum incedere quam coepissem, Te ducem nactus sum, aestumatissime MOLL! atque per anni spatium et in scholis tuis egregiam doctrinae tuae praeslantiam, et privatim comitatem tuam atque humanitatem saepe experiri mihi contigit. Grates dignas Tibi persolvere nequeo; discipulum aulam meritorum tuorum nunquam immemorem me invenias, solitaque tua benevolentia etiam nunc me prosequi pergas, spero. Optima Tibi largiatur D. O. M. dona et munera, sisque diu adhuc Athenaei Amstelodamensis et disciplinae theologicæ insigne decus!

Neque Tu sane praetereundus mihi es, clarissime DOMELA NIEUWENHUIS! cujus scholis theologicis et exercitiis oratoris interfui, et qui postea adveniens, qua es humanitate, semper me recepisti!

Triste, eheu! fatum impedit, quominus debita hæc officia reddam clarissimo VAN GILSE, nuper familiae, Ecclesiae, Theologiae adempto. Summi hujus Viri laudes meo digniores extollant calami, ego quidem praeceptoris et amici, haud uno nomine bene de me meriti, pie semper colam memoriam.

Vos denique mihi compellandi estis, clarissimi BOUMAN et VINKE! quos hæc Academiae Rheno-Trajectinae civis, praeceptores habui, quique haud raro benevolentiam vestram mihi testati estis. Tibi, clarissime BOUMAN! post longum laborem dulces sit otium, nec tamen infructuosum; Tibi, clarissime VINKE! vires sustentet, cladesque domesticas a Te tuisque avertat D. O. M., ut nonnullos jam annos studiosae juventuti prosis!

Juxta praeceptores Vobis omnibus (quorum nomina enumerare longum est!) gratum animum refero, qui aut Specimen conscribenti mihi auxilio vestro adfuistis, aut universe studiis meis aliquo modo favistis. Inter quos utinam jam compellare possem Venerandum MUNTENDAM, qui nullo non tempore paternum fere mihi se praestitit amicum, donec paucos ante menses familiae, amicis frequentissimis coetivique Amstelodamensi morte abripiebatur; cujus menti meae inhaerentem imaginem et memoriam nulla

delebit dies! Te autem paucis aggredi mihi licet et fas est, doctissime MEIJBOOM! ne cariorum tuorum erga me et studia mea meritorum immemorem me esse putes; simul autem ut te rogem, ne studiis meis prodesse meque magni facienda tua amicitia augere unquam desinas!

Vos denique, amici! quos et in urbe mea patria, et hinc in Almae Matris sinu optimos habui, omnes valeatis! Suavis, credite! semper mihi erit illius temporis recordatio, quo vestra consuetudine vestroque sodalitiis usus sum. Quocumque nunc dispergamur, amicitiae vinculum antea contextum obstrictos nos teneat; ex mea quidem mente nulla vel temporum, vel locorum distantia delebit Vestrum memoriam; sic et me bono vestro animo amplecti ne unquam cessetis obsecro. In quascunque orbis partes aut jam abieritis, aut adhuc forte abituri sitis, Pater Coelestis per totum vitae vestrae stadium propitius Vobis adsit, felicesque et laetos Vobis augeat dies! Valet!

Scripsi Traj. ad Rhen.

a. d. XII m. Junii 1859.

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.

| | Pag. |
|--|------|
| § 1. De Schola Salmuriensi | 1. |
| § 2. De Amyraldi vita | 10. |
| § 3. De Amyraldi in Theologiam universe spectatam meritis | 21. |

CAPUT PRIUS.

| | |
|--|----|
| AMYRALDI OPUS DE ETHICA CHRISTIANA | 38 |
|--|----|

SECTIO PRIOR.

| | |
|--|-----|
| TOTIUS OPERIS CONSPECTUS GENERALIS | 39. |
|--|-----|

SECTIO ALTERA.

QUAENAM FUERIT AMYRALDI DE NONNULLIS ETHICAE
CHRISTIANAE LOCIS SENTENTIA, SINGULATIM

EXPONITUR.

| | |
|--|-----|
| § 1. De summo bono | 59. |
| § 2. De actionum humanarum libertate | 63. |
| § 3. De lege Mosaica | 70. |
| § 4. De scientia Christiana | 74. |
| § 5. De prudentia Christiana | 76. |
| § 6. De fide | 79. |
| § 7. De spe et de fiducia | 83. |

| | pag. |
|---|------|
| § 8. De solennibus pietatis Christianae actibus . . . | 86. |
| § 9. De incitamentis ad pietatem, praesertim ex Dei cognitione petitis | 92. |
| § 10. De Principum ac Magistratum auctoritate, deque civium obedientia | 98. |
| § 11. De mendacio officioso | 101. |
| § 12. De suicidio et de monomachia | 103. |
| § 13. De Christianorum officiis erga variarum religionum asseclas | 105. |

CAPUT ALTERUM.

AMYRALDI OPERIS CUM ALIORUM OPEBIBUS ETHICIS BREVIS
COMPARATIO, ET MERITORUM EXPOSITIO.

| | |
|---|------|
| § 1. Historiae Ethices Christianae ante Sacrorum Instau- rationem brevia lineamenta | 109. |
| § 2. De iis, qui Saeco. XVI et XVII incunte de Ethica Christiana scripserunt in Ecclesia Lutherana . . | 119. |
| § 3. De iis, qui Saeco. XVI et XVII ineunte Ethicae Christiana operam navarunt in Ecclesia Reformata. | 135. |
| § 4. Epicrisis. De Amyraldi in Ethicen Chris- tianam meritis | 148. |

INTRODUCTIO.

§ 1.

De Schola Salmuriensi.

Neminem, qui Historiam dogmatum vel de limine salutaverit, fugit vel latet, priore Saeculi XVIIi parte haud satis laetam apud plurimas Protestantium familias fuisse Theologiae conditionem. Cum Lutherani, tum Reformati ardentissimo orthodoxae, quae censebatur, tuendae ac vindicandae doctrinae flagrabant studio. Librorum nimirum symbolicorum non tantum numerus increverat ¹⁾, sed cum numero etiam auctoritas in dies augebatur. Praeterea difficile dictu est, quantopere bellum tricenarium, quod magnam Europae partem ferro flammisque vastaverat, turbae in politicis, rixae in ecclesiasticis hic illic exortae, libero veri nominis Theologiae studio nocuerint ²⁾. Semel ac-

1) Hagenbach, *Dogmengeschichte*, ed. 4^{ta}. p. 511, 523 sqq.

2) Cf. quae hac de re monuit Cl. ter Haar in op. *Kerkgeschiedenis in Tafereelen*. T. VI. p. 1-24.

quisita et stabilita tueri, praecursorum vestigia premere, eorum opera commentariis illustrare et exornare, systema theologicum artissimis suis cancellis circumscribere, ejusque placita quam accuratissime definire, hoc fere unicum Theologorum erat consilium 1). Hinc, si minus probatur, facile saltem explicatur illius aevi erga secus sentientes intolerantia, quae a librorum symbolicorum doctrina ne digitum quidem discedere patiebatur, et in eorum verba jurans, cuivis verbulum tantum enuncianti, quod heterodoxiam redoleret, haereseos notam inurebat 2).

Quam saeculi indolem quo melius cognitam et perspectam habeamus, eo magis miramur in Ecclesiae Reformatae sinu totam exstitisse Scholam, cujus Professores variis in doctrinae capitibus a libris symbolicis, stabilitaque Theologia magis minusve discederent, vel discedere viderentur; atque in Gallia, litibus religiosis maxime turbata, in Academia Salmuriensi floruisse viros celeberrimos nonnullos, qui aliam melioremque inierint viam, et, licet varias Theologiae partes tractarent, hac in re inter se consenserint omnes, quod quisque suam doctrinam aequalium doctrina liberaliorem et magis Evangelicam profiteretur. Recte Schweizerus Amyraldismum »*signum temporis*» vocavit 3); sed jure meritoque totam scholam Salmuriensem sic vocari posse nulli affirmare dubitamus, nec sane, si respectum temporis habemus, mirari possumus, illud signum fuisse σημειῶν ἀντιλεγόμενον.

1) Buddens, *Isagoge*. I. p. 348 sqq.

2) G. J. Planck, *Gesch. der Prot. Theol.* p. 45 sqq. A. Schweizer, *Moses Amyraldus*, in Baur u. Zeller's *Jahrb.* 1852, p. 44 sqq.

3) l. l. p. 52.

Edictum Nannetense, anno 1598 ab Henrico IV rege editum, Ecclesiae Reformatae sociis ¹⁾, quatuor academias concesserat ²⁾, inter quas eminebant Montalbanensis et Salmuriensis. Academiae Montalbanensis Professores Daniel Chamier et Antonius Garissoles, ut etiam Sedanensis Petrus Molinaeus, orthodoxiae strenui erant propugnatores et patroni. Nec mirum! Novum enim eo tempore Ecclesiae imminabat periculum: in Neerlandia gravissimae lites exortae erant Arminianae; valde igitur metuebant ne in Gallia quoque se dispergeret illa Arminii doctrina, fideliumque animos corrumpere pacemque Ecclesiae turbaret. Propterea, ne quid detrimenti Ecclesia caperet, in Synodo Aleziana (1620) praedlectioni et examini subjecti sunt Canones Dordraceni, qui statim libri symbolici vim et auctoritatem obtinere ³⁾. Quod iudicium a Synodo Charentonensi a^o. 1623 habita confirmatum est, omnibusque Professoribus, Pastoribus et Studiosis, qui iurejurando se obstringere debebant, injunctum est, ut hanc doctrinam fideliter traderent, et omnibus abstinerent erroribus a Canonibus Dordracenis rejectis ⁴⁾.

Hanc orthodoxiae laudem inter aequales non eodem modo conciliare sibi potuerunt nec studuerunt *Academiae Salmu-*

1) In edictis regis vulgo vocabantur: *les sujets de la Religion prétendue Réformée*.

2) Montauban, Nismes, Montpellier, Saumur. Hisce accedit Academia Sedanensis, quae propriae Galliae Academiis non annumerabatur. Cf. G. DE FELICE, *Histoire des Protestants en France*, II, p. 182.

3) Aymon, *Actes de tous les Synodes Nationaux de France*. II, pag. 182 sqq.

4) Ibid pag. 293. sqq.

riensis Professores. Condita erat haec Academia a^o. 1604, a nobilissimo Philippo Duplessis-Mornaeo, qui, postquam Henricus IV, neglectis amici consiliis, Catholicam fidem jam amplexus, magis magisque a Pontificiis se regi sineret, in provinciam suam Salmuriensem recesserat. Egregius fuit ille scientiarum et fautor et cultor; haud pauca ipse scripsit: ut de republica, sic etiam de Ecclesia haud uno nomine optime meritus est ¹⁾.

Qui inter hujus Academiae Professores primus attentione nostra dignus est, Joannes Camero, natione Scotus, paucos annos tantum Salmurii cathedram theologicam occupavit (1618—1623); deinde, postquam a rege Ludovico XIII hoc munere privatus esset, et nonnullos menses in Anglia degisset, in Academia Montalbanensi Professor creatus est, quo autem munere itidem brevissime tantum functus est, praemature et horrendo facto occumbens ²⁾. Egregia hujus viri doctrinae et eruditionis copia e variis regionibus multos Academiae Salmuriensi adduxerat discipulos, quibuscumque autem ille de gratia et de Spiritu Sancto dogmaticas opiniones nonnullas communicabat, quae, licet revera orthodoxae doctrinae non repugnarent, nihilominus, quo-

1) De Mornaeo, vid. de Felice, l. l. p. 253 sqq. Moreri, *Dictionn.*, *Biograph. Univ.*, Herzog, *Real-Encycl.* i. v. Duplessis.

2) De illius vita vid. Bayle, *Dict. Hist. et Crit.* i. v.; Aymon, l. l. p. 268 et Icon L. Cappelli. De dogmaticis ejus opinionibus: Schweizer, *Protest. Centraldogmen*, II, p. 235 sqq. et Ejusdem *Tractatus de Paganismo* in Baur u. Zeller's *Jahrbb.* 1853, p. 173 sqq.; Gasz, *Gesch. der Prot. Dogmatik*, II, p. 331 sqq.

Opera Cameronis edita sunt 3us voll. a discipulo L. Cappello; postea adaucta et denuo edita Genevae cur. Fr. Spanhemio, 1642. — A^o. 1632 Cappellus etiam edidit *Myrothecium Evangelicum*, exegetica nonnulla Cameronis opera continens, quibus adjecit ille *Iconem J. Cameronis*.

niam Amyraldismo et Pajonismo ¹⁾ viam quasi munivisse viderentur, praesertim posterioribus temporibus heterodoxiae accusatae sunt. Editis scilicet thesibus nonnullis *de efficacia gratiae et usu liberi arbitrii* ostenderat Spiritus S^{cti} efficacitatem esse motum *ethicum*, qui hominis intellectum illustret et emendet, et sic psychologicas ob causas etiam vim habeat in voluntatem, quippe quae intellectus iudicium non sequi non possit. »Jure igitur Camero putabat et profiteri poterat se ab orthodoxa doctrina minime deflexisse; nam quum haec Spir^s S^{cti} in intellectum et voluntatem efficacitatem *physicam* esse tantum neget, et in hac mera negatione subsistat, ille addit eam esse *moralem*, et hoc argumentis psychologicis confirmat. Idcirco haec doctrina per aliquod tempus non turbavit animos, praesertim quum Camero ipsos Arminianos, satis strenue semper impugnaret.»

Longe autem majori tum eruditionis, tum etiam heterodoxiae fama haec Academia innotuit, postquam anno 1633 tres illius vacantes cathedrae theologicae occupatae essent a Ludovico Cappello, Mose Amyraldo et Josua Placaeo, qui tribus diebus subsequentibus gravissimum illud munus auspicati sunt. Cappellus enim illius anni d. 14 Junii munus suum in se suscepit, oratione habita vel potius thesibus defensis *de potestate et regimine Ecclesiae*, Amyraldus d. 15 ejusdem mensis et anni, locutus *de Sacerdotio Christi*, Placaeus d. 16 verba faciens *de Justificatione hominis coram Deo* ²⁾.

1) De Pajonismo vid. infra p. 9 nota 2.

2) Hae theses initium faciunt collectionis, cui titulus: *Synagoga thesium theologiarum in Acad. Salmuriensi variis temporibus disputatarum*, cujus

Josua Placaeus (Josué de la Place) anno 1596 in Armorica natus, primum Salmurii philosophiam docuit, dein ad Euangelii nunciationem vocatus est ab Ecclesia prope Nannetas, donec totius Academiae applausu munus Professionis theologiae Salmurii illi mandaretur. — Varia sunt hujus viri erga Theologiam dogmaticam et exegeticam merita, sed innotuit praesertim opinionibus suis *de mediata imputatione primi peccati Adamitici*. Docuerat enim aliquot thesibus *de statu hominis lapsi ante gratiam* sub ipsius praesidio defensis ¹⁾, malum culpa hominum non esse ipsam actualem inobedientiam Adami, quae nobis imputetur, sed vitium ex illa natum nobisque inhaerens. Jam a^o. 1645, quum habebatur Synodus Charentonensis tertia, huic relatum est, circumferri librum quemdam in quo negaretur, primum peccatum Adami nobis esse imputandum. (Falsa sane accusatio; Placaeus enim non omnem imputationem, sed imputationem *immediatam* negaverat!) Synodus talem doctrinam damnavit, et unicuique praescripsit, ut orthodoxam fidem defenderet ²⁾. Mox rumor per totam Galliam sparsus est et ad externos quoque pervenit, illo decreto damnatam esse Placaei doctrinam, etsi Synodus revera illius nomen non designasset. Postquam hic diu silentium servasset, exspectans et sperans fore ut coram Synodo Nationali sese defendere posset,

ed. 2^a „quarta parte disputationum priore auctior“ prodit Salmurii, 1664. Similis exstat collectio disputationum in Academia Sedanensi habitaram, sub titulo: *Thesaurus dispu. theoll. in alma Sedanensi Academia variis temporibus habitaram*, Genevae 1661, 2 Ti in 4^o.

1) Insertae sunt *Synt. Thes. Salm.* laud. I. p. 205-211.

2) *Aymon*, l. l. p. 680.

tandem disputationem edidit *de imputatione primi peccati Adamitici* contra Andream Rivetum, Samuëlem Maresium, Garissolium Mosque, qui acriter illum scriptis impugnaverant. Contra a Placaei partibus steterunt haud pauci iique eximii viri, neque haec haereseos suspicio impedivit, quominus Placaeus per XXII annorum spatium Academiae Salmuricensi decori ac ornamento esse pergeret, ibique summis frueretur honoribus, donec a^o. 1655 in pace diem supremum obiret 1).

Non minus quam Placaeus temporis intolerantiam expertus est Ludovicus Cappellus (Louis Cappel), anno 1585 natus, brevi post patre orbatus, et a fratre Jacobo, Professore Sedanensi, educatus. Postquam primum aliquamdiu in Ecclesia Burdigalensi Verbi Divini Ministerio functus esset, a^o. 1613 in Academia Salmuriensi vacantem linguae hebraicae cathedram occupavit, quam, uti vidimus, viginti annis post cum cathedra theologica mutavit, in qua usque ad mortem (1658) insigne fuit Academiae decus. — Licet etiam ceteris Theologiae disciplinis operam navaverit Cappellus 2), potissimum tamen de *Critica Sacra* V^s Tⁱ meritus est. Paulo postquam Buxtorfius senior contra doctissimum Judacum Eliam Levitam edidisset opus

1) De Placaeo vid. Ed. Saigey, *Josué de la Place*, in diario *Revue de Théol.* XI. p. 217-226; Schröckh, *Kirchengesch. seit der Reform.* V. p. 152, 359 sqq., et quos ille citavit: Weismann, *Introduc. in Memor. Eccl. Hist.* II. p. 782, et Jablonski, *Instit. Theol.* p. 314. Cf. etiam Praef. ad Placaei *Opera*, demum edita Francq. 1699. 2 Tomis.

2) Hoc nobis testantur et variae illius disputationes dogmaticae in *Synt. Theol.* occurrentes, et multi *Commentarii*, quos scripsit in omnes V. ac. N. T. libros, in quibus saepe satis longos quoque invenimus excursus dogmaticos.

suum, quod: *Tiberias, sive Commentarius Masorethicus triplex* inscriptum est, tractatum scripserat Cappellus, in quo ostenderet puncta, vocales et accentus in textu Hebraico ipso textu multo recentioris esse originis. Quem tractatum manuscriptum primum misit Buxtorfio, qui vehementer illum improbavit, deinde doctissimo Erpenio, Professori Leidensi, cui contra adeo placuit opus, ut ipse, auctoris nomine suppresso, statim illud typis mandari et edi curaret, sub titulo: *Arcanum punctuationis revelatum* (Lugd. Bat. 1624); cui operi nonnullis annis post Buxtorfius Junior opposuit tractatum suum: *de Punctorum, vocalium et accentuum antiquitate*.

Sed multo magis etiam Theologorum animos turbavit Cappellus, majore suo edito opere, quod titulum gerit: *Critica Sacra, sive de variis quae in V. T. libris occurrunt lectionibus*, quo novam criticae sacrae stravit viam, summa cum doctrina disputans de multis lectionibus variantibus, deque verae inter has lectionis inveniendae methodo. Nemo hoc opus, cui conficiendo XXXVI annos auctor impenderat, in lucem edere ausus est, donec tandem interveniente ipsius filio, qui ad Pontificiorum castra transierat, cura trium Theologorum Romano-Catholicorum ederetur. Longum foret litium ex illo opere enatarum ad finem persequi historiam: dixisse sufficiat, ab altera parte, ut omnibus illis litibus finis, et unicuique silentium imponeretur in *Formula Consensus Helvetica* ¹⁾ decretum esse

1) Haecce formula, quae jure a Schweizero "formula anti-Salmuriensis" vocatur, confecta est a. 1675 ab J. H. Heideggero, Professore Tigurino, instigantibus pluribus Helvetiae Theologis et civitatibus, contra omnes scholae Salmuriensis errores, qui etiam Genevae aliisque locis fovebantur. Multi autem fuerunt et in ipsa Helvetia et inter externos, qui formulae

(canone 2^o) » V^s Tⁱ Hebraicum codicem... tum quoad consonas, tum quoad vocalia, sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem, esse *ἑξήκυστον*”; ab altera autem parte Cappello debitas tributas fuisse laudes, quandoquidem illius opera pro magna parte critica et exegetica inserta fuerint *collectioni Criticorum Sacrorum*, quae Londini (1660) novem voluminibus prodit; gratique etiam nunc agnoscunt posteri, Cappellum in novum multoque nobiliter stadium hancce induxisse Theologiae disciplinam 1).

Brevibus verbis sic expositis Placaci et Cappelli vita et meritis theologis, jam progrediamur ad exponendam vitam illius Theologi, qui cum his artissimo amicitiae vinculo conjunctus fuit, qui autem doctrinae copia, operum multitudine, sed etiam litium, quibus vexatus fuit, gravitate, longe majorem sibi acquisivit famam, Scholae Salmuriensis sine dubio coryphaei: MOSIS AMYRALDI 2).

illi impugnarent, ita ut anno demum 1714 typis mandata prodierit. Vid. de illius historia: Escher, *Helvetische Confession in Allgem. Encycl. von Ersch u. Gruber*, V. p. 243 sqq; Pfaff, *Schediasma Theol. de Form. Cons. Helv.* p. 23 sqq; fuse praesertim de illa egit Schweizer, *Centrad.* II. p. 433 sqq.

1) De Lud. Capello vid. Nicolas, *Louis Coppel* in diario *Revue de Théol.* VIII. p. 257; Schröckh, l. l. p. 77, 91; J. H. Scholten, *Leer der Herv. Kerk*, I. p. 120.

2) Claudium Pajouem silentio hic praeterire possumus, quippe qui post Amyraldum vixerit; anno nempe 1666 Salmurii Professor creatus est. Vid. de illo jam laudata Schweizeri Disputatio: *der Pajonismus* in *Theol. Jahrb.* 1853; et Ed. Saigey: *le Pajonisme*, *Revue de Théol.* XIV, p. 355—355.

De Amyraldi vita.

Moses Amyraldus (Moyse Amyraut ¹⁾) anno 1596 mense Septembris Burdegullae Tureniorum (Bourgeuil en Touraine) e nobili familia natus est. A patre muneri politico destinatus philosophiae et jurisprudentiae ad vicesimum usque aetatis annum Pictavii operam dedit. Tunc auctore et suasore Boucheravio, Vi. Di. Ministro Salmuriensi ²⁾, lectisque insuper Calvinii »Institutionibus», Theologiae se dicare constituit. Postquam igitur Salmurii Cameronis lectiones audiisset, qui magno juvenem amore prosecutus est, sacrorum antistitis munus in se suscepit in pago St. Aignan, ubi 18 menses degit. Anno autem 1626 simul cum duabus aliis ecclesiis ecclesia Salmuriensis illum ad se vocavit, cui vocationi obediendum esse duxit. Successit igitur Dallaeo Salmurio Charentonem, ubi coetus Parisiensis congregari solebat ³⁾, profecto.

Quum Amyraldus a^o. 1631 a Synodo Provinciali Andegavensi ad Synodum Nationalem Charentonensem delegatus esset, haec ei mandavit, ut coram rege Ecclesiae Refor-

1) Sic vulgo se ipse vocat; interdum alii illum vocant Amyraut, Amyrault, Amyraud, et ignominiose Anglus quidem Amurath.

2) Sic vulgo praecunte Baylio dictus est, donec Haag, *France Protestante*, i. v. Amyraut, illum vocaverit: „*Ministre de Saucerre*”. — Aymon autem (l. l. II. p. 3) inter illos qui a^o. 1614 ad Synodum habitam in urbe Tonneins delegati erant, nominat etiam »Bouchereau, Ministre de l'Eglise de Saumur”, quare Baylii verba defendenda esse putamus.

3) De Félice, l. l. p. 284.

matae oppressae jura defenderet ¹⁾: ac illum eligens aptissimum ad hoc mandatum exsequendum virum invenerat Synodus. In aulam regiam cum venisset Amyraldus, primum impetravit, ut liceret sibi erecto corpore, nec genibus flexis, ut deputatis solitum erat, verba facere; quod postquam tandem illi concessum erat, pulcherrimam coram rege habuit orationem ²⁾, eique vividis coloribus depinxit oppressionem et privilegiorum violationem, de quibus jure suo querebantur Reformati. Tantopere Amyraldus eruditione et eloquentia sua Cardinali Richelievio placuit, ut hac opportunitate insignem ejus favorem sibi conciliaverit. — Perperam Aymon retulit ³⁾, Amyraldum eo tempore Salmurii jam fuisse Professorem; hocce munus diu ipsi destinatum post biennium demum auspicatus est ⁴⁾.

Mox ille, Placcæus et Capellus novum quandam splendorem Academiae addebant, et undique, praesertim autem ex Helvetia, affuebant discipuli, qui illorum institutione fruerentur.

Non diu tamen munere illo amplissimo quiete fungi potuit Amyraldus: vehementissimis litibus undique circumventus ac vexatus est. Ediderat nempe anno 1634 tractatum quemdam *de Praedestinatione* ⁵⁾, in quo ipse,

1) Aymon, l. l. p. 459 sqq.

2) Haec oratio typis expressa est in: *Mercuré François de l'an 1631*. Nonnulla ejus verba silavit Saigey, *Môise Amyrant, Revue de Théol.* V. p. 178.

3) l. l. p. 452.

4) Vid. supra p. 5.

5) Hujus tractatus "*de la Prédestination*", conspectus reperitur apud Schweizer, *Jahrb.* l. l. p. 66—74, et *Centralld.* l. l. p. 280—297. — Vid. etiam Jäger, *Hist. Eccl. et Polit.* I p. 522 sqq., qui dedit: "Sys-

Cameronis discipulus, magistri doctrinam enucleavit et amplificavit, docens Deo inesse voluntatem omnes omnino homines sub conditione fidei servandi, quam thesin vix a Remonstrantium damnata sententia differre dixeris. Addidit vero Amyraldus hominem, propter inhaerentem corruptionis labem, hanc conditionem non contemnere non posse, quod igitur sic intelligi voluit, ut *universalis* illa Dei voluntas facto neminem salvum reddat. Ab altera parte statuit, Deo simul inesse voluntatem *particularem*, qua ab aeterno certo certorum hominum numero fidem dare, adeoque his revera sempiternam felicitatem afferre constituerit. De hac Amyraldi doctrina sequenti paragrapho plura dicenda nobis erunt. — Quo consilio hoc opusculum confecerit, ipsum Amyraldum narrantem audiamus 1):

»Cum, anno 1634 lectissima foemina, et primariae inter

tema breve sententiae Amyraldisticae ex Amyraldi et Testardi libris extractum”; et And. Rivetus, qui *Opp. T. IIIo.* (p. 830 sqq.) inseruit: »Synopsis doctrinae de natura et gratia, excerptam ex Mosis Amyraldi... tractatu de Praedestinatione, et sex concionibus, Gallice editis, et Pauli Testardi... Eirenico, Latine vulgato.”

Ipsam Amyraldi tractatum ego nusquam inveni; gratias autem quas possum maximas, dico Ve Ven^o Ed. Saigey, in Elsatio V. D. M., qui non tantum hujus operis, sed etiam aliorum librorum exemplaria vel excerpta inspiciendi ac in meum usum convertendi, ea, qua est humanitate, mihi copiam facere nullus dubitavit.

1) Haec verba leguntur in *Praef. Apolog. Speciminis Animadversionum in Exercitationes de gratia universali*. Salm. 1648, p. 2, 3. — Aliam scribendi occasionem illi tribuit Bayle, (l. I. Nota D.) Narrat ille nempe Amyraldum hunc tractatum scripsisse in gratiam cujusdam viri nobilis Romano-Catholici, quocum convivio euidam interfuerat, et qui in Protestantium opiniones pronus erat, sed doctrina de praedestinatione nimis offerebatur. Sed non video, quare Baylii haec narratio ipsius auctoris nostri disertis verbis anteferenda esset.

nostrates nobilitatis, viro ejusdem conditionis nupsisset, qui recens e communione Romana ad nostram se transtulerat, coepit illa paucos post menses suspicari aliquid de viri defectione, quam revera meditabatur. Quod quum mentem ejus, pro ea pietate, qua praedicta est, magnopere sollicitam haberet, comperissetque, illum inter alia causari nescio quid atrox et minime ferendum, quod in doctrina nostra de praedestinatione esse putabat, rogavit me omni studio, ut viro suo labanti, sibi vero in incredibile angore versanti, quam citissime opem ferrem." Supplicibus illis precibus morem gerens, quam citissime tractatum scripserat Amyraldus, eumque, rogantibus collegis, typis evulgavit, minime putans fore, ut inde tam graves orirentur lites. Nil enim hoc scripto contineri putabat, quod non conveniret cum Cameronis doctrina, cujus opera nuper jussu synodi Castrensis edita et approbata erant. Tum »Molinaeus et Rivetus improbaverant quidem doctrinam de gratia universali aliquo modo, at eam materiam ita tractaverant tamen, ut controversiam illam admodum exigui ac pene nullius momenti esse significarent.... Necdum," ita pergit Amyraldus, »pro certo constituere potui, cum eruditissimus Testardus totum istud biennium tam pacate transegisset, quid ipse singulariter peccaverim, cur statim atque libellus ille apparuit, tantae procellae exortae sint. 1)"

Longe aliter quam speraverat Amyraldus, res evenit. Primum enim Guilielmus Rivetus, Andreae frater, illum opinionum non satis orthodoxarum accusavit, quod effecit, ut mox varii de eo spargerentur rumores, quos ut refu-

1) Praef. laud. p. 7 et 10. Testardus ille, ut infra videbimus, de Praedestinatione, eadem fere mente ac Amyraldus ductus, scripserat.

taret Amyraldus *sex orationes sacras et disquisitionem in Calvinii de praedestinatione doctrinam edidit* ¹⁾, in quibus Calvinii nomine atque auctoritate doctrinam a se propositam protegere ac defendere studuit. Tunc autem duo majoris nominis ac famae oppugnatores surrexere; alter, qui summa doctrinae simulque orthodoxiae fama gaudebat vir, sub cuius praesidio olim (anno 1620) synodus nationalis canones Dordracenos sanxerat, Arminianorumque errores rejecerat, fuit Petrus Molinaeus, Professor Sedanensis, (« quae res, » ait Amyraldus quantum vulnus existimationi meae inflixerit, facile est existimare²⁾); alter fuit Andreas Rivetus, Leidensis Professor celeberrimus. Brevissimo tempore fama de novis illis erroribus adeo vulgata erat, ut, quum anno 1637 Synodus nationalis Alenconensis haberetur, contra Amyraldum (nec non contra Paulum Testardum, Pastorem Blesensem, itidem Cameronis discipulum, qui jam ante annum 1634 ediderat *Eirenicon et Synopsis doctrinae de natura et gratia*) ad illum mitterentur incriminationes non tantum Molinaei et Riveti, sed etiam facultatum theologicarum in Neerlandia et in Helvetia ³⁾.

1) «*Six Sermons sur la Nature, étendue, nécessité dispensative et efficace de l'Évangile*», et «*Echantillon de la doctrine de Calvin sur la prédestination*», utrumque opus Salmii 1636.

2) Longa theologorum Genevensium epistola legitur apud Aymon, l. l. p. 604-614, Molinaei epistola satis acerba, ib. p. 615-619. Molinaeus inter alia, Synodo hoc consilium dedit: «il est très nécessaire, que vous mettiés en usage les remedes que vous jugerez estre les plus convenables pour servir d'avertissement et d'exemple à la postérité, et à ceux qui sous le voile d'expressions nouvelles, voudront proposer et établir une nouvelle doctrine.» And. Rivetus miserat suam *Synopsis* supra laudatam, eum suae manus epistola et cum approbationibus Theologorum Leiden-

Amyraldus et Testardus coram synodo rem suam defenderunt et professi sunt, se nihil voluisse nec velle docere, quod repugnaret Sacrae Scripturae vel librorum symboli-
corum doctrinae. Monuit tamen illos synodus, ut nonnullis formulis verbisque, quae non bene intellecta laedere possent, in posterum abstinerent, quod quum promisissent, Moderator dextra data amicitiam illis testatus est, et cum honore synodus illos dimisit ¹⁾, »simul autem pacis confirmandae causa vetuit ne iterum evulgarent libros suos” ²⁾, silentiumque de illis rebus unicuique commendavit.

Pacificum synodi decretum multis displicuit. Non tantum Helvetici studiosi nonnulli ab Academia Salmuriensi revocabantur, sed Molinaeus sequenti jam anno novum librum quemdam contra Amyraldum edidit ³⁾, cui ut responderet, hic suum *Tractatum de providentia Dei in malo*, 1638, et *Defensionem doctrinae Joh. Calvinii de absoluto praedestinationis decreto*, 1641, evulgavit. Novus praeterea descendit oppugnator in arnam, quum a^o. 1644 doctissimus senex Fredericus Spanhemius, Professor Leidensis, suam *Disputationem de gratia universali* ederet, cui Amyraldus duo scripta opposuit: *Defensio doctrinae de gratia particulari, ut ab orthodoxis explicatur*, et *defensio de*

sium, Franckeranorum et Groninganorum, quae omnia vidd. in Riveti *Opp.* T. III p. 830-852 et 872. Cf. Aymon l. l. p. 614, qui Franckeranorum (Joh. Bogermanni, Meinardi Schotani, Joh. Maccovii) nomina accurate (l) sic reddit: »Messieurs Jean Bourgeois, Menard, Ser-taunus, et Jean Majomus”!

1) Acta synodi huc spectantia vidd. apud Aymon. l. l. p. 571-576.

2) Riveti *Opp.* l. l. p. 875.

3) »*Examen tractatus Amyraldini de Praedestinatione*”.

gratia particulari, ut a Calvino explicatur ¹⁾. Quum igitur anno 1644 et 1645 synodus Carentonensis haberetur, coram illa denuo res acta est; nam ab utraque parte querebantur de Synodi Alenconensis decretis violatis. Synodus autem re inquisita Amyraldum honorifice dimisit, et denuo omnibus silentium imposuit ²⁾. Impetravit autem Amyraldus, ut contra extraneos oppugnatores se defendere sibi liceret, cum venia synodi provincialis Andegavensis. Nec sine caussa hoc rogaverat; anno enim 1646 Spanhemius tria spissa edidit volumina *Exercitationum de gratia universali*, cui operi ut responderet, ille *Specimen scripsit Animadversionum in Exercitationes de gratia universali*, Salm. 1648.”

Hiscé litibus concussum Amyraldi animum crexit haud exiguum amicitiae et fiduciae testimonium a Synodo Charontonensi ipsi datum ³⁾, quippe quae illi refutationem mandaret cujusdam viri de la Milletiere, in varios Pon-

1) J. G. Walch, *Hist. und Theol. Eins. in die Religionsstreitigkeiten ausser der Luth. Kirche*. I, p. 456. Scripta supra citata non satis distincte indicant Schweizer et Haag.

2) «L'Assemblée étant très satisfaite de l'explication et du sens donné à la doctrine de ces livres,.... et jugeant, qu'il valloit beaucoup mieux ensevelir dans un perpetuel oubli toutes les plaintes qui avoient été portées par l'une et l'autre partie, renvoia avec honneur ledit Sr. Amyraud, en l'exhortant de s'aquiter courageusement et ioieusement de son office de Pasteur et de Professeur en Theologie.... Elle defendit formellement aux Ministres et aux Professeurs, sous peine d'encourir toutes les censures de l'Eglise, de passer les bornes, que les canons du Synode d'Alençon leur prescrivoient, dans leurs écrits, dans leurs preches, ou en disputant les uns contre les autres, touchant les points exposés dans ledit Synode, ou de publier aucun livre sur ces sujets.” Aymon, l. I. p. 663, 664.

3) Aymon, l. I. p. 683 sqq.

tificiorum errores proni, quos hic, licet solenniter jam excommunicatus erat, revocare volebat, et contra quem jam a°. 1638 (Gallico idiomate) tractatum *de operum merito* et alia Amyraldus conscripserat.

Spanhemii refutatio in Gallia denuo animos incendebat; at Princeps Tarentinus effecit, ut anno 1650 Amyraldus cum Guilielmo Riveto et cum Philippo Vincentio, Ecclesiae Rupellensis Pastore, qui fortiter etiam illum oppugnaverat, pacem restitueret, cujus pacis conditiones exstant in *Actis Thoarsensibus* ¹⁾. Praeter hos, praesertim in Gallia multos sibi conciliaverat amicos et fautores, inter quos eminent Placaeus et Cappellus, Dallaeus, Blondellus ²⁾, quid? quod anno 1655 cum ipso Petro Molinaeo amicitiae foedus inierit. Coram synodo habita anno 1659 in urbe Louduni (quae ut haberetur Amyraldus a Mazarino Cardinali impetraverat) iterum quidem accusationes contra Amyraldum, et contra ipsum Moderatorem Dallaeum adornatae sunt; sed uterque absolutus est, decretumque est „nemine contradicente”, ut omnes antea de gratia agitatae lites alto silentio comprimerentur ³⁾. Rogavit porro haecce Synodus Amyraldum, ut cum Blondello, duobusque aliis viris, novam redigeret *disciplinae ecclesiasticae* articulorum editionem.

1) „*Actes de Thouars*,” quibus Amyraldus promisit „de se tenir toujours aux arrêts et declarations des synodes ponctuellement, de ne disputer de vive voix, ny par escrit des matieres contestées entre eux, et de moyenner, en tant qu'en luy sera, envers ses collegues, qu'ils garderoient le même ordre.” Blondel, *Actes Authentiques*, p. 84-86, citatus a Saigey, *Revue*, V, p. 181.

2) Seriem Amyraldi amicorum et inimicorum collegit Pfaff, l. l. p. 10.

3) Aymon, l. l. p. 778.

Verbo hęc jam monendum est Dallaeum, ut Amyraldum defenderet, scripsisse *Apologiam pro duabus synodis in Gallia*, quae 1655 in seio auctore a Blondello Amstelodami edita est. Illi se opposuit Marsius, Professor Groninganus ¹⁾ in *Epicrisi theologica ad quaestiones de redemptione et gratia*. Tunc Blondellus Gallice edidit sua *Synodorum Acta Authentica*, quibus Gautierius quidam alio opere edito sese opposuit ²⁾.

In Helvetia quoque, ubi, uti vidimus, mox rumor de nova Amyraldi doctrina sparsus erat, vehementissimae hac de re lites actae sunt, quae magnopere et theologos et totam ecclesiam conturbarunt ³⁾. Doctissimi hęc stetero ab utraque parte viri: Amyraldismum inter alios defendebant Tronchinus et Mestrezatius, oppugnatores hic habuit Fr. Turretinum, J. H. Heideggerum, Th. Zwingerum, alios. Brevi autem novarum opinionum defensoribus silentium impositum est, tandemque Formula Consensus Helvetica, haud paucis tamen resistentibus, solemniter eas condemnavit.

Amyraldus a nonnullis accusatus est, quod *unionem* vel *syncretismum* quemdam *cum Pontificiis* in mente ha-

1) Quem inter alia dixisse narrat Weismann, l. l. p. 686 „velle se cum sanguine suo evomere, si quidquam doctrinae de gratia universali haberet in suo pectore” - „quam vocem,” ait Weismannus, „utinam ipsi condonaverit divina misericordia. Nescivit enim quid loquatur.”

2) „Considerations libres et charitables sur le recueil des Actes authentiques ramassés par Mr. Blondel.” Walsh, l. l. I, p. 456, III, p. 739.

3) Bayle, *Nouvelles lettres*, I, p. 18. sq. Schweizer, *Centralbl.* l. l. p. 439 sqq.

buerit; at, licet multos etiam inter hos amicos habuerit et ipsorum Cardinalium Richelievii et Mazarini insigni favore gauderet, tale propositum minime habuisse censendus est; e contrariis illorum errores non tantum semper refutavit, sed secessionis ab Ecclesia Romana justam fuisse causam plane agnovit, majusque discrimen inter illam et Protestantes impedire plus semel ostendit, quominus pax inter duas illas Ecclesias facile conciliari posset. 1) De conatibus ejus irenicis quoad unionem Reformatorum cum Lutheranis infra plura dicemus.

Otium a litibus dogmaticis, quod procuraverant illi Acta Thoarsensia nonnullos annos adhuc frui potuit Amyraldus; placide enim obiit Salmurii die 8 Januarii anni 1664.

Uxorem duxerat Amyraldus Elisabetham Aubineau, quae duos peperit illi liberos: filiam, quae nupsit Bernardo de Haumont, Juris Consulto, obierat vero post 18 menses (quae tristis clades Amyraldo ansam dedit in uxoris suae solatium tractatum quemdam conscribendi *de statu fidelium post mortem* 2)), et filium, qui primum Parisiis, dein, revocato edicto Nantensi, Hagae Comitum haud infructuose Jurisprudentiae operam navavit.

Baylius Amyraldo nostro hocce testimonium dedit: „Fuit ille unus illustrissimorum Theologorum, qui Saeculo XVII in Gallia florere. Calamo aequae facile utebatur ac lingua, quae haud parva sane laus est: mira enim quaedam erat illi dicendi copia, tam Latine, quam Gallice,

1) Vidd. ejus opera: „*du Merite des Oeuvres*,” „*de Seccessione ab Ecclesia Romana*” et „*Eirenicon*.”

2) „*Sur l'Etat des fideles après la mort*.” Cf. Bayle, l. l.

tam in scholis theologicis, quam in orationibus sacris. De mille rebus porro dicere poterat, quae ad ipsum illius munus non pertinebant, quod sine dubio haud minus, immo magis fortasse quam ipsius doctrinae fama, ei magnam illam, qua semper usus est, etiam alius religionis virorum nobilium aestumationem et amicitiam conciliavit. Laudanda quoque est illius largitas erga uniuscujusque Religionis pauperos, quibus stipendia sua dabat per decem ultimos vitae annos.

Quam Baylius laudat Amyraldi scribendi facultas, ex omnibus quae supra diximus, jam satis sine dubio manifesta est; nequaquam vero jam omnia auctoris nostri scripta recensuimus ¹⁾. Ipse Amyraldus ait ²⁾: »Ego certe, ne quid istarum rerum, quae sunt ad salutem necessaria, a Christianis ignoraretur, non omnino indiligentem operam dedisse mihi videor. Nam... praeter doctrinam de *Sacramentis* pluribus thesibus pertractatam ante aliquot annos, et non ita pridem brevius sed dilucide in *Irenico* explicatam, in *Psalmos Davidicos* ea commentatus sum, quae, nisi me fallit animus, multum fideles juvare possunt in ea pietatis parte, quae in gratiarum actione consistit.

1) Accuratam eorum catalogum dedere Haag l. l. et Schweizer, in Herzog, *Real Encycl.* i. v. Amyraut. — In Annotatione ad editionem Latinam a¹ 1712 opusculi Amyraldi: „Considerations sur les droits par lesquels la nature a réglé les mariages, 1648” haec inveni: „Amyraldus... scripsit bene multa, Gallice et Latine, quorum catalogum exhibet Hendrich, in *Pandectis Brandenburgicis*, pag. 158 sqq., et non ita plenum Witte in *Diario Biographico* ad annum 1665.” Duo autem haec opera ad manum mihi non inere; de illis catalogis iudicium igitur ferre nequeo.

2) In *Prooemio Tractatus de Symbolo Apostolico*.

Voluntatem vero Dei duabus tabulis comprehensam ad-
fuse prosecutus sum, in sex *Ethicae Christianae* volumi-
nibus . . . ut vix quidquam, quod ad viri boni et pii
officium spectet, desiderari possit, quod non in ea lucu-
bratione contineatur . . . *Orationem Dominicam* breviter
sane at accurate tamen, ut mihi quidem videtur, hoc ipso
anno ita enucleavi, ut illius intelligentiam nunc omnibus
apertam et expositam esse arbitrer; ac denique Religionis
Christianae dogmata variis *Paraphrasibus in libros N. T.*
instituta, variisque scriptis *polemiciis*, ut loquuntur, tum
ad solam *veritatis expositionem* comparatis, hactenus sic
illustrare conatus sum, ut eorum quae cognitu necessaria
sunt, nihil quemquam latere queat, qui opera mea legerit.”
Praeterea in mente habuit Amyraldus universae Theolo-
giae expositionem quandam scribere ¹⁾, quod tamen quo-
minus perficeret mors prohibuisse videtur.

§ 3.

De Amyraldi in Theologiam universe spectatam meritis.

Uti brevem Amyraldi vitae conspectum dedimus, sic
quoque de ejus egregiis in Theologiam universe spectatam
meritis paucis agendum esse duximus; ac primum quidem
vidcamus, quid in *Theologiae dogmaticae* provincia prae-
stiterit. In his autem exponendis eo brevioribus nobis
esse licebit, quandoquidem systema, quod Theologo nostro
peculiare fuit, non tantum a veteribus, sed etiam a re-

1) Vid *Mor. Chrest.* T. VI. in Praef.

centioribus (Saigeyum, Schweizerum, Scholtenium cogito ¹⁾) magna cum cura sit expositum; ita ut jam ejus doctrinae indoles, licet alii aliter de illa judicaverint, satis facile cognosci ac dijudicari queat.

Doctrina illa peculiaris Amyraldi, quae agit *de praedestinatione et gratia*, et cui nomen *Universatismi Hypo-thetici* seu *Conditionati* datum est, huc potissimum redit ²⁾: Deus hoc consilio homines creavit, ut hi ejus imaginem gerentes, et perfecta virtute et sanctitate gaudentes, ad conditionem vere beatam pervenirent; at simul ita hominis natura comparata erat, ut peccare potuerit ³⁾. Homo ita instructus tentationi diaboli succumbens (atque igitur sua culpa) lapsus est, et ita quidem, ut non tantum ipse sibi relictus resurgere non valuerit, sed etiam omnem suam progeniem in perniciem secum traxerit. Talem autem hominis lapsum Deus ab initio jam praeviderat, quare, misericordia ductus, decreverat, ut Filium suum in terram mitteret, qui »uti ipse ferret poenas, quas lapsi ho-

1) Saigeyus thesin de Amyraldismo edidit, et de illo egit in diario laudato (*Revue*, T. V.); Schweizerus, primum de illo scripsit in laudatis *Theoll. Jahrb.*, nuperrimo in opere *Prot. Centraldd.* magna adhibita copia scriptorum cum Amyraldi ipsius, tum ipsius defensorum et oppugnantorum, copiosissime et accuratissime de illo disputavit; Scholtenius non adeo multa, at multum de illo dixit in opere *de leer der Herv. Kerk*, II, p. 568 sqq.

2) Sequimur praesertim Amyraldi opus primum: *Brief Traité de la Prédestination*, quod omnibus libris ansam dedit.

3) „Si Dieu eust créé l'homme tel qu'il eust été impossible qu'il pechast, il ne l'eust pas mis en l'estat de la nature, mais en une condition surnaturelle.” *de la Préd.* p. 43.

mines meruerant, sic illorum ipse salutem efficeret, *modo in ipsum crederent.*" 1)

Peccati vero vis in homine tanta est, ut hic conditioni illi satisfacere atque sic gratiam et salutem sibi oblatam arripere nec possit nec velit. Ne igitur plane inefficax et vanum maneret sacrificium Christi, *alterum* cepit Deus consilium, » ut scilicet talem in hominem exerceret potentiae suae efficacitatem, quae omnem illius menti et voluntati inhaerentem corruptionem superaret et tolleret, ita ut ille crederet, gratiamque sibi oblatam arriperet." Hoc autem Dei decretum, quod Praedestinationis decretum vocatur, *non*, ut prius illud, *universum* est. Salutarem illam atque efficacem vim, cujus fructus fides est, in *nonnullos* tantum homines Deus exercet, dum alios gratia sua *praetermittit*, atque in his severitatem suam erga peccatum patefacit. — Electionis illius Scriptura Sacra nullam aliam causam aut normam esse docet, nisi *Dei liberam voluntatem vel beneplacitum* 2). Nequaquam vero haec Dei agendi ratio injusta vel arbitraria est habenda; nam omnibus gratiam suam obtulit, sub ea conditione ut

1) «Le sacrifice que Jésus Christ a offert pour la propitiation des offenses des hommes a esté *egalement pour tous*, pourveu que la disposition de la recevoir soit egale de mesmes.... ceste volonté (de Dieu) de rendre la grace du salut universelle et commune à tous les hommes estans tellement *conditionelle*, que sans l'accomplissement de la condition elle est entièrement *inefficacieuse.*" de la *Tréd.*, p. 78, 90.

2) «Ce n'est pas que Dieu, qui est une essence sage au dessus de tout ce que nous en pouvons comprendre, ait fait ce choix à tastons... nous ne laissons pas de croire qu'il a procedé avec son ordinaire sapience... mais nous voulons dire, qu'il n'y a *nulle cause es hommes* de ceste diversité de la faueur de Dieu envers eux." ib. p. 117.

illam arripere. Omnes tamen eam respicere. Jam si Deus incredibili quadam benignitate nihilominus nonnullis fidem largitur: «num ceteri jure de injuria queruntur? Certe nullus est homo, qui non quoad beneficiorum distributionem liberum sese existimet!»

Quibus fidem Deus largiri vult, his non tantum Evangelium annuntiarum curat, sed simul ita in horum mente spiritus sui efficacitate operatur, ut inde vitium expellatur. Nec tamen ita, ut tollat hominis libertatem, aut vi illum cogat ¹⁾. Movet mentem nostram *cognitione veritatis, excellentiae et utilitatis Evangelii*, quae tantam vim (moralem) in nos exercent, ut omnes affectus et appetitus sensuales et carnales sibi subjiciant. Sic homines ducuntur ad vitam vere vitalem, sanctam et beatam; nam ubi gratia Dei intellectus illustratus, et voluntas immutata est, deesse non potest sanctificatio; datque haec doctrina veram felicitatem, et in omnibus rebus pacem et solatium ²⁾.

Non miramur, quo tempore haec primum promulgarentur, ubi nempe omnes vires intendebantur ad defendendum Calvinismum et Systema Dordracenum, fuisse nonnullos in Ecclesia Reformata, qui magnopere timerent,

1) „La croyance est une persuasion; et on ne persuade personne par la force... Et l'amour est un mouvement de la volonté... Or ne se peut-il concevoir que la volonté veuille contre son vouloir.” ib. p. 156, 157. Off. loci e tractatu *de lib. Arb.* citati apud Scholten, l. l. p. 451, 453, quibus multi alii ex eodem tractatu addi possent. Prodiit hic a. 1647, minime vero a. 1667, ut errore typographi in operis titulo legimus, et ut scripsere Gasz, l. l. p. 343, et Scholten, o. l. T. I, p. 67.

2) Ad hanc doctrinam recte intelligendam omnino conferri meretur Placcii *Disput. de Ordine Decretorum Dei*, in illius *Opp.*, T. I, p. 499 sqq.

ne ad Arminianismum duceret haec doctrina, quippe quae universalitatem gratiae docere videretur. Non miramur synodum Alenconensem imprimis Amyraldum rogasse, quid significaret illud: „*Christum mortuum esse aequaliter pro omnibus*”¹⁾. Hoc autem Amyraldus et Testardus ita explicuere²⁾: „*Christus mortuus est pro omnibus sufficienter, pro electis vero tantum efficaciter. Christus voluit, ut crucis suae sacrificium abundantissime sufficeret ad totius mundi peccata expianda. Efficacitatis vero et fructus illius mortis electi tantum participes sunt.*” Ilac explicatione contenta rogavit tamen synodus, ut hacce formula dicendi uti nollent, quae aliis lapis offensionis esse posset; idem de aliis formulis quibusdam rogavit; de ipsius autem systematicae et doctrinae orthodoxiae non dubitavit, Amyraldumque igitur et Testardum, ut supra jam vidimus, honorifice dimisit³⁾.

Nec minus hujus doctrinae *orthodoxiam* et concordiam cum Calvinii et Synodi Dordracenae effatis Amyraldus ejusque amici semper strenue tuiti sunt, ac, si rem ad vivum resecaas, vere et recte Amyraldum illam tueri potuisse multi postea perspexerunt⁴⁾. Cum his faciunt inter

1) „Egalement pour tous.” Vid. supra p. 23, nota 1.

2) Aymon, l. I. p. 572.

3) Eodem sensu Pastores Parisienses aº. 1647 ad Tigurinos scripserunt: „Nemo inter nos reperitur, qui non Synodi Dordracenae canonibus per omnia assentiat, nec si quis ab iis dissentire comperiretur, ab ecclesiis nostris, quae iis tanta animorum consensione in synodis nationalibus Aleziana et Carentonensi subscripserunt, ullo modo ferretur.” Vid. locus apud Schweizerum, *Jahrb.* p. 83.

4) Sic, ut paucorum effata citemus, Bayle dicit: „Jamais remède ne fut aussi palliatif que celui-là... Si vous n'allez pas plus loin, autant

recentiores Saigeyus, Scholtenius, et etiam Schweizerus, qui autem suam de Amyraldis mi orthodoxia opinionem revera Cl^o Scholtenio debet¹⁾. Antea enim dubitaverat, an Amyraldus a Calvino multum differret; nunc autem nostratis argumentis convictus plane eandem atque ille sententiam iniit²⁾.

Et revera Universalismus ille Hypotheticus quid aliud

vaut-il ne bouger de votre place: tenez-vous en repos dans le Particularisme"; Pfaff (l. I. p. 42): „Universalismus Hypoth. nihil aliud quam Particularismus est, et absolutum decretum de fide danda his, deneganda illis involvit;" Weismann (o. l. II. p. 684): „In particularismum ceterorum relabuntur (Amyraldistae), et idem fere statuunt;" Schröckh. (l. I. p. 353): „Viele haben in dieser Lehre nichts anders als Calvin's Lehrbegriff, nur geschmückter als jemals, erblickt; und es scheint in der That, dasz dieses der richtigste Begriff davon sey;" Walch (o. l. I. p. 457; cf. III, p. 742 sqq.): „diese Meynung der Amyraldisten laufft auf eins mit der Lehre der Particularisten und der ächten Reformirten hinaus .. Deun was soll das für eine allgemeine Gnade Gottes seyn, wenn er zwar alle selig haben, aber nicht allen die Mittel dazu, oder den Glauben geben will? Folglich ist zwischen beiden nur ein scheinbarer Unterschied."

1) Candidè hoc fatetur Schweizerus, ubi scribit (*Jahrbb.* p. 193): „Scholten hat nachgesehen, und richtig geurtheilt, dass ich die Reformirte Dogmatik noch prädestinarianischer hätte darstellen sollen, als geschehen ist. Möchten viele so edle Berichtiger auftreten, wie der selige Schneckenburger und Scholten!"

2) Longè a veritate abest Ebrard, qui (*Dogmatik* I, p. 86) Amyraldismum vocat: „eine directe *Opposition* gegen die absolute Prädestinationslehre"; et postea in diario *Reform. Kirchenzeitung*, (1853, No. 27—30, 32—34), Amyraldismum, quem accuratori illic examini submittit, „Prädestinarianismo venas et nervos incidisse" dicit, et addit: „und wenn Amyraut gleichwohl um den Lehrsatz von einem deer. speciale einer gratia spec. irresist. noch zu retten, ihn an sein System zu *stücken* suchte, so ist dies lediglich eine *Zufälligkeit*, die nur davon zeugt, dasz auch

est quam *Particularismus*? Christum pro omnibus sufficienter mortuum esse docet: *omnes* salutem acquirere possunt, *modo credant*; in ea autem conditione omnes homines versantur, ut *nemo* eorum huic conditioni satisfacere possit. Cui bonum, quaeso, *tali* conditione? istud decretum, „*quo actu nemo salvatur*”, 1) nonne merum somnium, omni vi destitutum, est habendum? Nonne summo jure Schweizerus Universalismum Hypotheticum denotat tanquam „*comatum prorsus idealis universalismi cum reali particularismo conjungendi*?” 2)

Fuerunt tamen, qui, licet agnoscerent Amyraldi doctrinam bene intellectam convenire cum Calvinismo, nihilominus Amyraldum *conciliationem* qualemcunque efficere *voluisse* putarent, et *Syncretismum* creare inter Calvinianos et Arminianos necnon Lutheranos 3). Hanc autem suspicionem longissime semper

der... charakterfesteste Mann... dem Geist und dem Willen seiner Zeit und Umgebung und der Macht der Umstände sich nie *völlig* zu entziehen vermag.” Qua in disputatione Ebrardus Amyraldi verbis „*gratiam universalem esse pro omnibus sufficientem*” nimium tribuit, nec satis attendit, hominem gratiae illius arripiendae *prorsus potentialiter* tantum habere libertatem, nec *actu* ullum hominem illam arripere posse, quia *actu* nemo talis est, qui illud omni animo *velit*.

1) *De la Préd.* p. 93.

2) *Jahrb.* p. 50.

3) Sic Schröckhianus verbis modo allatis addit: „Amyrant *suchte offenbar* jenen Lehrbegriff der den Lutheranern und Arminianern so *anstössig* war, durch einen *Eingang*, der sich ihnen näherte, zu *empfehlen*;... allein dadurch eingeladen in das Hauptgebäude zu treten, fanden sie den *völligen Calvin* wieder.” Sic Jäger (l. l. p. 522, cf. p. 530) scribit: „*Scopus* ejus erat *viam* hac ratione *quaerere*, quomodo *concordia* inter sic dictos Lutheranos et Calvinianos, quin et Arminianos *iniri* possit... Pul-

a se rejicere et amovere studuit Amyraldus. ¹⁾ Non tantum in scriptis suis occasione data Arminianorum opiniones refutavit ²⁾, sed peculiarem etiam tractatum contra eos edidit ³⁾, et in *Praef.* ad Tractatum *de libero arbitrio* ait: „eo libentius et facilius (ad hoc opusculum scribendum) animum induximus, quod nonnulli aliquid de nobis suspicati sunt, quasi occultum quendam Syncretismum cum Arminianis, Jesuitis et aliis Semi-Pelagianis hac in parte foveremus . . . Satisfactum autem iri certe quidem iis non dubito, postquam perspexerint. . . neminem unquam, qui Theologiam tractaverit haud omnino infeliciter, ab erroribus Pelagianorum et Semi-Pelagianorum longius recessisse!” Quae cum ita sint,

veres tantum ejus hypoltheses in oculos sparsi, ut Calvinianismus *tegatur et via ad Syncretismum sternatur.*” Sic aliquatenus etiam Saigey, qui, licet prorsus agnoscat, hocce systema „tout bien considéré,” nihil aliud esse quam Particularismum, addit tamen: „il devait tenir le milieu entre l'Universalisme absolu des Arminiens et le Particularisme absolu du decret de Dordrecht.” Prae omnibus hoc nuper contendit Haag, qui scribit: „Amyraut avait adopté le système de conciliation entre l'Arminianisme et le Gomarisme, imaginé par son Maître. Peut-être espérait-il de mettre un terme à la querelle des deux partis en se portant comme Médiateur.” Caudeat sane ille, Amyraldum hodie non esse in vivis; haud minus quam Rivetum et Spanhemium, etiam illum oppugnasset!

1) Recte hoc ostendit Gasz (l. l. p. 334 sqq.) qui tamen non satis animadvertisse mihi videtur, Amyraldi Universalismum *merce idealem* esse, ubi scribit: „Wenn sich seine dogmatische Dialectik wie zwischen zwei Polen hin und her bewegt, kann sie nicht füglich zur Ruhe kommen.”

2) Cf. quae Scholten, l. l. p. 571 citavit Amyraldi effata, ex hujus opere: *defense de la doctrine de Calvin*; nec non Amyraldi opus *Irenicon*, in quo, ut infra videbimus, multis verbis ostendit Reformatos cum Arminianis nullam societatem inire posse.

3) *Declaratio fidei contra errores Arminianorum.* Salm 1646.

si Amyraldus fuerit Crypto-Arminianus, aut Syncretismum quendam in mente habuerit, non tantum haeresis, sed longe peioris alicujus rei, falsissimae nempe hypocrisis illum accusandum esse putaremus! — Certe, credimus non satis attendisse viros doctos, quam occasione tractatum suum *de Praedestinatione* scripserit Amyraldus ¹⁾; minime erat res, de *Arminiano* convertendo, sed cum *Pontificio* quodam agendum illi erat; ne hunc praedestinationis dogma Reformationum nimis deterreret, absolutum illud praedestinationis decretum, ut ait Scholtenius, „velo universalismi idealis textit.“ ²⁾

Sed diutius quam nobis propositum erat de Universalismo Hypothetico jam locuti sumus: haec igitur sufficient! — Quod ad cetera theologiae dogmaticae capita attinet, illa omnia fere fuse et perspicue variis scriptis tractavit; ex his nonnulla infra in nostra disputatione tanguntur, cetera non ejusmodi sunt, ut hinc singularem quandam mentionem requirant. Jam memoratis ejus scriptis dogmaticis addantur *Exercitationes in Orationem Dominicam* (1662), et *in Symbolum Apostolicum* (1663) et, praeter alia multa, septem *dissertationes de Mystero Trinitatis*, quarum quartam descripsit Wagencilius ³⁾, quae

1) Vid. supra p. 12.

2) Recte hoc animadvertit Schweizerus (*Jahrb.* p. 75, et *Centraldd.* p. 299) qui verba Amyraldi nonnulla hac spectantia citavit ex hujus Praef. ad librum „*Echantillon de la doctrine de Calvin.*“

3) *Tela ignea Satanae*, p. 140—178. Hocce dedit Wagencilius de illa dissertatione testimonium: „Est pulcherrima dissertatio, quam Vir florentissimus ingenio et doctrina, scite et venuste composuit, cujus in

continet explicationem multorum V. F. locorum, in quibus dogmatis de Trinitate vestigia secundum Amyraldum deprehenduntur. Praeterea illius de variis rebus dogmaticis opiniones optime cognosci possunt ex *Synt. Theol. Salm.* 1).

De *Exegesi* quoque bene meritus est Amyraldus noster; dedit enim fere omnium Nⁱ Tⁱ librorum *Paraphrases*, quas tamen sine nomine auctoris edidit, ne Pontificii ab earum lectione absterrerentur; hisce Paraphrasis multi quoque dogmatici excursus insunt; ab Apocalypseos explicatione, aeque ac Calvinus, prudenter abstinuit. Memoratu praeterea digna est Amyraldi *Paraphrasis in Psalmos* 2), in cujus operis Praefatione multis loquitur »de variis effectis Sancti Spiritus in mentibus humanis, quo melius intelligatur sequentis Paraphrasis Argumentorum et Annotationum ratio.” Haec ratio talis est, ut ostendat auctor in V. F. fere totum jam latere N. F. Juxta grammaticam interpretationem satis accuratam et bonam, typica methodo quam maxime adhibita, ingeniosius quam verius, in Psalmis fere totam Christi vitam et doctrinam Euangelicam invenit, de qua interpretandi methodo,

nostris oris nulla est copia. Sunt egregia profecto, habentque nervos et artus sapientiae, ita ut pretium sit, mi Lector, nos ponere et illa diligenter discere ac meditari conveniat. Judaeis deinde inculcanda.”

1) Praesertim ex hujus operis altera editione anni 1662, cui quarta pars adjecta est unius Amyraldi disputationes continens. Hanc editionem in usum mihi dedit Ol. Promotor meus; prior illa et brevior reperitur in Biblioth. Teleiobaptistarum, quae Amstelodami est.

2) Ed. 1^a Salm 1662; ed. 2^a, cujus exemplar in nostra Bibliotheca Academica reperitur, Traj. 1769, cur. J. Cremero.

illius tempore valde usitata, infra plura dicenda nobis erunt. Inter alia (nam multa effata hic afferre diutius nos detineret) haec dicit ¹⁾: „Ubiunque in scriptis Prophecticis reperitur aliquid, quod vel ob raritatem notabile est, vel ob peregrinitatem propemodum singulare, vel admirabile ob inusitatam excellentiam, vel extra ordinem altum atque sublime, vel inexpectatum et praeter consuetum loquendi ac sentiendi morem, vel aliquo alio modo idoneum quod animos hominum commoveat et rapiat in admirationem, illud pro certo statuendum est ab aliqua parte spectare in tempus futurum, et aliquid, quod ad Euangelium pertineat, innuere aut indicare.”

In *Epistola* satis longa dedicatoria hancce Paraphrasin obtulit CAROLO II, Magnae Britanniae regi, qua de re pauca nobis dicenda sunt. — Jam diu Reformati in Gallia, ut etiam Presbyteriani in Britannia accusabantur, quod *Principum auctoritatem non satis agnoscerent*. Contra hanc accusationem jam anno 1650 se suosque quam maxime defenderat AMYRALDUS, edito libro *de principatu Regum* ²⁾, in quo multis argumentis tum e jure gentium, tum e Sacra Scriptura desumptis, regum supremam auctoritatem vindicat, civibusque *obedientiam passivam* praescribit, non tantum ubi rex aequae et justae gubernat, sed etiam ubi cives vexat atque opprimit ³⁾. Porro ostendit

1) *Praef.* laud. p. 93.

2) „*De la Souveraineté des Rois*, 1650.” — Hic tractatus, benevolentia Doct. J. W. Holtrop, ex Bibliotheca Regia Hagana in usum mihi datus est.

3) „Lorsqu'un Royaume a un Prince, qui maltraite ses sujets, le peuple doit recourir à Dieu par ses prières et par ses larmes; et quelque

Reformatos semper ita sensisse ¹⁾, affirmatque nunquam illos seditioni ansam daturus esse ²⁾. — Eundem scopum sibi proposuit Amyraldus, ubi Epistolam, de qua diximus, ad Carolum II scripsit, ut nempe denuo palam profiteretur, quid de regum auctoritate sentiret. »Et viva voce,» inquit, »semper eorum opinionibus et sermonibus obstiti, qui Monarchas in ordinem redigere voluerunt, et ubicunque res id et occasio tulit, jus eorum legum humanarum coërcitionem supereminens, partim rationis, partim scripturae testimoniis, adversus factiosorum hominum calumnias et obtreccationes, scriptis perpetuo adserui et vindicavi» ³⁾. — In eodem tractatu de *Ecclesiae Anglicanae* Regimine et Liturgiis locutus, Presbyterianorum causam defendit Amyraldus, et sic regem obtestatur: »si qui sunt inter Anglos vel alteri regimini, quod pastores facit aequales, vel alteri liturgiae, quae aliquanto simplicior est, ex teneritate aliqua conscientiae addictiores, quam ut tibi in hisce rebus omnino obsecundare queant . . . eos humaniter et clementer habere pergas . . . Nam si

intolerable que soit son regne, si le peuple entreprend de l'arracher de son trône, il tombe dans le crime de *rebellion*, d'autant qu'il a deü attendre, que le Souverain des Roys y pourceust.» l. l. p. 155.

1) Rogabit fortasse aliquis annon Amyraldus plane hic pugnet cum historia. Sed bene attendendum est, Amyraldum hic tantum contendere, Protestantes nunquam primos lites et seditiones incepisse aut instigasse. Ceterum eum hisce conferantur, quae infra dicemus, P. I. S. II. § 10.

2) »Leur unique soin sera de prier Dieu, que comme il a mis dans la Souveraineté de nos Roys un portraict de sa majesté, il mette pareillement en leur conduite une image de sa justice et de sa bonté.» l. l. p. 182.

3) *Epist. Dedic.* p. 27

concedas illis, ut, donec aliter sentiant, suo illis iudicio suaque opinione libere frui liceat, quid aliud quam Deum imitaberis?" 1) — Quam hic et in opere mox laudato exposuit Amyraldus de sacrosancta et inviolabili regum ac principum auctoritate sententia prorsus respondet iis, quae in suis *de Ethica Christiana* libris de eodem argumento docuit, quod satis superque valet ad adversarios, qui Amyraldum uti et alios Reformatos seditionibus favisse clament, refutandos ac contumeliae convincendos.

Orationes sacras quoque nobis reliquit Amyraldus, quarum praecipuas enumerant Haag et Schweizer. Praeter illum in Gallia tunc temporis complures concionatores sacri florebant, uti Camero, Molinaeus, Dallaeus, Drelineurtius, alii, inter quos autem Amyraldus haud infimum occupat locum. Alia vero quaestio est, utrum hae orationes auribus nostris tantopere placerent, quantopere illas auditoribus, pro quorum concione habebantur, placuisse constat. Nec sane est quod miremur, si ad temporum illorum rationem atque indolem attendimus, in Amyraldi quoque orationibus dogmatum explicationem 2) ac typologicam, quae dicitur, explicationem principem sibi vindicasse locum, multaque de physica, de astronomia, de historia naturali iis inesse, quae hodie ab orationis sacrae argumento quam longissime abhorre dixeris. Una, cujus inspiciendae copia mihi fuit, Amyraldi oratio sacra 3), haec satis ostendit. Agit illa de

1) Ib. p. 38.

2) Sic Amyraldus, e. g. in sex sermonibus jam laudatis *de natura Evangelii* longissima „incomparabilis Calvinii“ citat et explicat effata.

3) *Sermon sur la naissance du Christ, prononcé à Saumur le jour de*

verbis, quae leguntur Luc. II: 12: »*Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio*». Praemissis observationibus nonnullis de usu et abusu festorum dierum maximam partem hujus sermonis occupat exegesis (nam tota oratio 68 continetur pagg., et usque ad pag. 50 explicatur textus): huic autem permulta alia immixta sunt, e. g. variae significationes verbi »*signum*», descriptio infantum corporis et animi, explicatio cur infantes pannis involvantur, aliaque similia, ex quibus auditoribus appareat, quanta fuerit Servatoris nostri humiliatio. Exposita exegesi veniam sibi petit orator, ut plura sermoni suo addat, 1) atque igitur pergens, conditionem Christi, quae in textu describitur, refert ad varias Ecclesiae condiciones sub Oeconomis Naturae, Legis et Gratiae 2); tandemque pastores adhortatur, ne fideles pro

Noël, 1662; ed. 1663. Ex Bibl. Reg. Hag. hiecc sermo in usum mihi datus est. Nec Haag, nec Schweizer illum cognovisse videntur.

1) Hoc loco ita auditores alloquitur: „Voulés-vous bien, mes Freres, que ie vous die encore quelque chose sur cette matiere? Car le temps destiné à cette action est écoulé. Mais ie voy à la disposition de vos visages, et à l'attention avec laquelle vous m'écoutez, que vous le voulés bien. Aussi cette action estant extraordinaire, on y peut bien donner un peu plus de temps que nous n'auons accoustumé; et puis la *constitution de l'air* n'est nullement insupportable.” l. I. p. 50.

2) Sub Oeconomia nempe *Naturae*, Ecclesia erat „une manifeste representation de l'Estat auquel nous auons dit qu'estoit l'ame du Seigneur dans le temps qui suivit immediatement celui, auquel il nasquit.” — Sub *Lege* vere fuit „comme emmaillottée... Tout ce grand nombre d'institutions et d'ordonnances, ont esté... les bandages dont elle a esté enuveloppée, à peu près pour les mesmes raisons, pour lesquelles on emmaillotte les enfans.” — Tandem sub Oeconomia *Evangelii* Deus Ecclesiam suam liberavit ab imperfectione infantiae et a legis vinculis. „Qu'est-ce donc

embryonibus habeant, sed pro filiis adultis; ducantque illos »ad praesepe Bethlehemiticum, ad crucem Golgothae, ad caelum gloriae, ut illic Servatorem suum inveniant!” —

Ejusmodi oratio sacra ab hodierna concionandi methodo tam procul recedit, ut vix vel ne vix quidem nobis placere possit. Vel sic tamen Amyraldi eloquentia nequam suis virtutibus ac laudibus defraudanda est; ac si comparatio hanc inter orationem aliaque ejusdem temporis et generis documenta instituitur, benevolum aequalium de Amyraldo oratore sacro iudicium haud injustum nobis videbitur.

Restat, ut verbo quoque dicamus de *irenicis* Amyraldi *scriptis*, in quibus de *Unione Reformatos inter et Lutheranos* instituenda agit ¹⁾. Anno 1631 Synodus Charontonensis edictum promulgaverat, quo »liceret Lutheranis ut cum Reformatis Sacra Coena uterentur; et Sacro Baptismo horum infantes offerrent, modo promitterent, se nunquam illos admonituros esse ut Ecclesiae Reformatae doctrinam relinquerent” ²⁾. Unio nempe Lutheranos in-

qui luy est resté de l'estat de l'enfance de son Sauveur sous cette dispensation? L'abjection de la crèche, et son apparence contemptible devant les yeux des hommes de ce monde icy.”

1) *De Secessione ab Ecclesia Romana, deque ratione pacis inter Evangelicos in religionis negotio instituendae*. Salm. 1647. 8°. — *Ειρημικόν, sive de ratione pacis in religionis negotio, inter Evangelicos constituendae consilium*. Salm. 1662. 8°. Hoc opus Cl. J. Tideman mihi benigne procuravit ex Biblioth. Remonstr. Amstelod. — De re ipsa hujus *Unionis* vidd. Walch, l. l. I. p. 499 sqq.; Schröckh, l. l. p. 193 et alibi; Schweizer, *Jahrbb.*, p. 175 sqq. et *Centraldd.* p. 503 sqq.

2) Aymon, l. l. p. 500. — Quatenam res hujus decreti edicti ansam proxime dederit, narrarunt Schröckh et Schweizer, ll. ll. Scilicet

ter et Reformatos tunc temporis bene multis et Amyraldo quoque nostro magnopere arridebat. Jam anno 1647 Hassiae Comiti, in Gallia tunc degenti, dicaverat librum suum: *de secessione ab Ecclesia Romana*; deinde anno 1662, postquam audierat de colloquio Cassellis de religione habito, edidit *Εἰρήνη* suum. In hoc tractatu primum ostendit, quasnam ob causas Reformati cum Pontificiis, Socinianis et Arminianis omnem in religiosis communionem reprobare debeant. »Cessent igitur», inquit, »concionatores Romano-Catholici, qui ex ambone non declamare solum in pertinaciam nostram, sed detonare solent, nos odiosis verbis apud populum incessere, quasi synodus Carentonensis, non pacis aut veritatis amore, sed factionis alienius colligandae studio, reconciliationem Augustanis obtulisset, quam Pontifici Romano prae fracte et obstinate denegamus. Nam in tanta disparitate rerum, ni iudicium nostrum pro portione dispar esset, pro insanis haberi deberemus.» ¹⁾ Deinde inquit, quibusnam in dogmatibus Reformati a Lutheranis differant, ostenditque dissensionem inter illos non tantam esse, quae unionem necessario vetaret ac prohiberet, tandemque exponit pacis componendae rationem ²⁾. Imprimis postremam illam hujus libri partem magna cum delectatione legimus; multa in ea occurrunt, nostris quoque temporibus lectione et attentione haud indigna; multaque inde citare nos juvaret;

mercator quidam Lutheranus, qui e Germania Lugdunum migraverat, viri Reformati filiam uxorem ducere volebat. Quem scopum ut facilius attingeret, professus est, se una cum Reformatis sacrae coenam adire velle.

1) *Iren.* p. 279.

2) *Ib.* p. 341 sqq.

sed diutius jam haec Amyraldi vitae et in Theologiam meritorum expositio nos detinuit! ¹⁾).

Et haec igitur de Amyraldi in universam Theologiae disciplinam variasque ejus partes meritis sufficiant. Illa haud contemnenda fuisse quisque libenter nobis concedet. Tali tantoque viro, qualem Amyraldum ex brevi ejus vitae conspectu cognovimus, qui insigni eruditionis copiae singulare quoddam judicii acumen jungebat, qui mira quadam facultate clare et perspicue suas sententias exponere pollebat, qui in polemicis quoque mentem suam placidam probabat, ac uti in vita domestica et familiari mansuetudine et humanitate omnium animos sibi devinxit, sic quoque in omnibus rebus pacis amantissimum se praestitit, — tali tantoque viro Schola Salmuriensis jure meritoque gloriata est. Sed nostra veneratio ac admiratio, qua Amyraldi memoriam prosequimur, insigniter etiam augebitur, ubi, ipsum hujus disputationis argumentum aggredientes, data opera exponemus, quid in *Elhiciis* quoque Amyraldus praestiterit. —

1) Cf. concinna sed accurata Schweizeri expositio in Herzogii *Real-Wörterb.* 1.1.; aut longior explicatio in *Theoll. Jahrb.*, quam iisdem fere verbis, sed aliquanto brevius etiam operi suo „*Protest. Centraldd.*“ auctor inseruit.

CAPUT PRIUS.

AMYRALDI OPUS DE ETHICA CHRISTIANA.

Quod de omnibus Amyraldi operibus quodammodo valet, ea, ut tot praeclarorum virorum scripta, nimis temporis injuriam experta esse, ita ut fere oblivioni fuerint tradita, id haud scio an verissime etiam affirmari possit de primario quod conscripsit opere: *de Ethica Christiana* ¹⁾. Haud infructuosum vel ingratum opus igitur suscepturus mihi videor, quum hac qualicumque mea disputatione mihi

1) Operis titulus est: „*la Morale Chrestienne*.” Quatuor ejus partes sex continentur voluminibus, 8o.: 1. *Premiere partie*, Saumur, 1652 - 653 pagg.; 2. *Seconde partie*, 1654 - 755 pagg.; 3. *Suite de la seconde partie*, 1654 - 800 pagg.; 4. *Troisieme partie*, 1658 - 739 pagg.; 5. *Quatrieme partie*, 1659 - 828 pagg.; 6. *Suite de la quatrieme partie*, 1660 - 822 pagg. - De operis raritate jam questus est Schröckh, l. l. p. 164, qui nunquam illud viderat, nec etsi magna cura quacsivisset, illud reperire potuerat. Postea ab amica manu exemplar ei procuratum est ex Bibliotheca Wolfenbutliana (cf. l. l. p. 341). Valde igitur ego gauderam, quum hosce libros in Telciobaptistarum Bibliotheca servatos viderem, nec paucas debeo gratias Clo J. van Gilse, qui egregia qua est humanitate et erga omnes juvenes studiosos benevolentia, rarissimum hocce opus diutius mihi mutuum dare haud recusavit.

proposuerim ostendere ac media veluti in luce collocare, quam egregiis, quoad hanc etiam Theologiae provinciam, laudibus dignus sit vir ille eximius, qui diu in obscuro latuit, cuique recentior demum aetas honorificum illum locum restituit, quem Amyraldus summo jure tenet sibi que vindicat praeclaros inter Ecclesiae Reformatae Theologos.

Quo melius autem hoc Amyraldi opus et universe et quoad singulas res et partes cognosci et dijudicari queat, praecedat hic *totius operis conspectus* vel brevis delineatio; *deinde de nonnullis Ethicae Christianae capitibus ac locis* Amyraldi sententia singularim exponatur.

SECTIO PRIOR.

TOTIUS OPERIS CONSPECTUS GENERALIS.

Operis Ethici scribendi consilium cepit Amyraldus, cum ingenio suo ac animi desiderio indulgens, tum imprimis suadente amico de Villarnoul¹⁾, cui opus suum

1) Philippus de Jaucourt de Villarnoul, ex antiquissima et nobilissima familia natus, filius erat Joannis de Jaucourt et Marthae de Mornay, maximae natu filiae summi illius Philippi de Plessis-Mornay. Ipse conjugem habuit Margaretham Gueribalde, quae quinque filios et plures filias ei peperit. Vid. Moreri, *Dict.* i. v. — Egregio illum ornavit Amyraldus in opere nostro et

dicavit, quippe qui ei auctor exstiterat, ut a rixis dogmaticis paululum requiesceret, et placidioribus hisce studiis animum intenderet.

Universe ita de Ethica Christiana scribere sibi proposuit auctor, ut ante omnia ad *varios patefactionis divinae gradus* ¹⁾ attendat, et nova praecepta a Deo data, quae cuivis periodo priva ac peculiaria sint, exponat, atque ita ea instituta, quae sub Euangelii patefactione data sunt, ipsius Naturae fundamentis superstructa esse ostendat.

Hanc igitur *historicam* viam et methodum secutus, *prima* operis parte inquiri Amyraldus quaenam Natura ipsa hominem docuerit, ut illum ad pietatem et virtutem informaret; *secunda* parte, quid in hac Naturae institutione immutatum sit, postquam peccati labe homo inquinatus est: *tertia* attendit ad Dei patefactionem sub Veteri Foedere, imprimis ad Legem Mosaicam: denique *quarta* eademque longe gravissima operis parte investigat, quid sub ultima Euangelii patefactione praecedentibus institutis additum sit, ut homo ad summam evehatur perfectionem moralem et felicitatem.

PRIMAM operis sui partem inchoat Amyraldus copiosa disputatione *de homine ejusque facultatibus* in Natu-

ingenii et virtutis Christianae encomio, citavitque illum tanquam exemplum viri nobilis Christiani. Vidd. varii loci, sed imprimis T. VI. p. 347-357, ubi etiam nonnulla de Villarnoulli vitae fati narrantur.

1) Maxime enim Amyraldo arridebat doctrina illa, quae eo tempore haud parum in Ecclesia Reformata vigeat, de *foederibus a Deo cum hominibus ictis*, quam ipse etiam accurate explicuit in *Synt. Theol. Salm.*, I, p. 212-231.

rae *integritate*. Harum nonnullas docet esse *rationis expertes*, ut facultates físicas (vitalem, nutritivam) et appetitum sensualem, cui Intellectus imperare debeat; alias vero *rationis participes* esse. Intellectum nempe et Voluntatem, sive Appetitum rationalem.

Hisce facultatibus *libere* uti poterat primus homo, omnibusque viribus tendere ad ultimum actionum suarum scopum, sive ad summum bonum.

Summum illud *bonum* nequaquam in divitiis aut honoribus aut voluptate sive corporis sive animi est quaerendum, sed unice *ipsa virtus* est habendum, quippe quae non tantum animum generosis affectibus impleat, et harmoniam inter ejus facultates constituat atque conservet, sed praesertim laudabilibus actionibus se exserat suamque excellentiam demonstret.

Varias praeterea recenset Amyraldus res, quae hominis *felicitem* in naturae integritate *augere* poterant, quum externa bona, tum bona corporis et animi. Nec parvum hinc locum tenere monet notiones, quas primus homo sibi comparare potuerit de *immortalitate*, et de *neru inter bonum et malum physicum et morale*, nec minus notionem de *hominis communione cum Deo*, quae sponte oriri deberet, ubi Illum sibi informaret homo tanquam infinitum, sanctum, perfecte beatum omniumque Rectorem et Governatorem; ex qua cognitione et contemplatione simul nasceretur desiderium, ut, quantumcunque posset, summum illud Numen imitarctur, ipsique similis fieret 1).

1) „Etsi haec res nobis Scriptura Sacra in luce posuerit clariore, primis hominibus in naturae integritate versantibus non ignotae tamen reman-

Hominis *actiones morales*, quibus illius virtus sese manifestare debet, tria habent *objecta*: Deum nempe, *proximos* et *ipsum hominem agentem*. Quid de hisce objectis Natura docere potuerit, et quatenam inde homini perficienda derivari potuerint officia, accurate nunc Amyraldus inquirat.

Deum Natura docet esse unum ¹⁾, infinitum, invisibilem, sanctum, omniumque Creatorem et Conservatorem; haec igitur Naturae effata homini persuadere debebant, *unum tantum Deum colendum et venerandum esse*, nullam om-

sissent." Hanc Ethicae partem satis leviter Amyraldus tractasse putat Aristotelem, quem ceteroquin maxime facit philosophum. „Aristote," inquit, „à le merveilleux défaut de ne se donner pas beaucoup de peine des choses divines...; il n'a jamais su, que le lien qui conjoint le bien physique et le bien moral, comme aussi le mal physique et le mal moral, fust absolument inviolable, faute d'avoir considéré la Providence de Dieu assés attentivement." I. I. T. I. p. 201. — Alio loco hisce verbis illum reprehendit: „Aristote n'est pas allé assés avant dans la connoissance de Dieu, comme Createur et Conservateur du Monde... C'est delà sans doute, qu'Aristote, qui dans toutes les autres parties de sa *Morale* parle si exactement et si raisonnablement des autres devoirs d'un homme de bien, n'y fait aucune mention de la *piété envers Dieu*, ny de cette plus belle et plus haute partie de la Vertu, qui concerne cette haute Essence." I. I. p. 214, sq. Cf. etiam III, p. 152.

1) „Or qui est-ce qui se comparant avec Dieu se fust troué digne de la moindre partie de l'honneur qui luy est deu?... Et si ce sont les *Anges*, qui s'offrent à nos esprits pour en connoistre les qualités, ie veux... que cet estre entierement spirituel qui les exempte des affections du corps, leur donne quelque avantage au-dessus de nous,... mais à l'égard de Dieu, son infinité nous surpassant également, les réduit tellement à nostre proportion, qu'un entendement bien fait, n'y remarque plus de difference." I. I. p. 277 sqq.

nino illius confici posse *imaginem*, neque nisi cum summa *reverentia* de illo aut *cogitare* aut *loqui* licitum esse; simulque ea homines excitare debebant, ut *statis temporibus* ¹⁾ cum aliis *convenirent*, ut Numen colerent, gratiasque illi dicerent vel canerent, et se invicem ad pietatem et virtutem adhortarentur. Ostendit ita auctor noster prioris legis Mosaicae tabulae praecepta revera Naturae offitis inniti, et a Moyse non nisi iterata esse.

Atque idem valere dicit de sex alterius tabulae praeceptis, quae officia erga *proximos* spectant. Diserte enim Natura docet atque jubet, ut liberi *parentibus* obediant, ut proximi *vitam* unusquisque intactam conservet, illius *convubii honorem* maximi faciat, vicini *bona* omni modo tucatur, justitiaeque erga illum exercendae curam gerat, denique *bonae*, qua ille gaudet, *famae*, non tantum non noceat ipse, sed contra prodesse semper studeat. Ultimum legis Mosaicae praeceptum primis hominibus non adeo necessarium erat atque nobis; nam perfecta ejus felicitas nulli *desiderio* locum dabat, omnesque ejus appetitus bene moderati et rationi subditi erant.

Erga *se ipsum* quae homo in naturae integritate praestare debebat officia, ad tria potissimum referri possunt,

1) „Le 4^e commandement les définit à la révolution de sept en sept iours, mais on en peut alleguer diverses raisons, qui ne pouvoient tomber dans l'esprit du premier homme... J'estime donc que la nature des choses mesmes n'ayant pas précisément déterminé le temps, auquel les hommes pourroient célébrer ces congregations, Dieu l'a voulu déterminer par une révelation aucunement *supernaturelle*.” Varii hic citantur modi, quibus nonnulli numerum illum *septem* dierum explicare conati sunt ex *siderum cursu*, aut ex *numerosum natura*. p. 318-324.

modestiam ¹⁾ nempe, *virtutes homileticas* ²⁾ et *temperantiam* ³⁾.

Denuo nunc inquit Amyraldus, quam, ut his omnibus officiis fungeretur, *libertate* primus homo praeditus fuerit, tandemque ostendit illius *felicitem* non tantum (uti contendit Aristoteles) contemplatione constitisse, sed etiam *actionibus editis* haud parum adauctam et ad perfectionem adductam fuisse.

In SECUNDA operis sui parte (quae duobus continetur voluminibus) primum ostendit Amyraldus *facultatibus iisdem* atque antea cum corporis tum animi, etiam *post lapsum* praeditum esse hominem, eodemque ordine illas in se invicem operari ⁴⁾. *Ratio* autem non eadem

1) Ad veram *modestiam* homo necessario incitari debebat, quum se ipsum compararet cum animalibus, cum ceteris hominibus necnon cum ipso Deo. — „Si la connoissance qu'il avoit de son neant à l'égard de Dieu a deü former une singuliere modestie en son esprit, la connoissance de ce qu'il estoit quelque chose, quand il se considroit à part, luy devoit donner un couraige vrayement genereux pour ne rien faire d'indigne de soy et pour rapporter à la gloire de son Createur toute l'excellence de son estre." I. I. p. 522.

2) Ad has referuntur *veritas, affabilitas, urbanitas*. — Memoratu dignum est decem paginas (p. 547 sqq.) hic impleri disquisitione, utrum homines in statu innocentiae *risissent*. Risum cum hac naturae conditione non omnimodo pugnare, et praesertim pueros tunc saepe risisse pulat Amyraldus, monet autem causas, quae tunc hominum risum moverint, multo innocentiores sine dubio fuisse, quam quae nostram laetitiam haud raro excitent.

3) Haec in omni *voluptatis* usu praesertim illi observanda erat.

4) „Le changement qui est arrivé en l'homme par le peché ne consiste donc pas dans l'exstinction de ses facultés, ny dans l'abolition entiere

qua antea fruitur luce, unde natus est „*languor* quidam et *debilitas* in *voluntatis* actibus, et diminuta est efficacia, quam hae duae facultates habebant in appetitum sensualem, et hiece appetitus ipse equo similis factus est, qui frenum momordit, et ab equite vix coërceri potest” 1).

Nec vero idcirco post lapsum homini omnis *libertas* abneganda est. Peccatum quidem impedit, quominus homo *velit* bonum facere, illumque, ut *velit* malum perpetrare incitat, id vero talibus adhibitis argumentis et incitamentis, ut homo non nisi suos affectus suamque ad vitium propensionem malarum istarum actionum accusare possit.

Postquam beatae illius, qua antea fruebatur, conditionis jacturam fecerit homo, amisit etiam facultatem *summum* in *hac* vita attingendi *boni* 2). Et quod attinet ad summum bonum *supernaturale*, longe abest, ut talem illius sibi acquisiverit notitiam, qualem ex accurata rerum contemplatione acquirere sibi potuisset.

Nec tamen desiit Deus, infinita qua est benignitate, varias homini vias ministrare et media, quibus si uti vellet, summum bonum sanctitatis et virtutis attingere posset.

de leur subordination, mais dans leurs *habitudes* seulement et dans le vice des opérations, dont les habitudes les infectent.” I. I. Vol. II. p. 24.

1) I. I. p. 34.

2) „Je ne puis assés m'estonner comment Aristote ne s'est point aduisé du desordre survenu à la Nature, et comment il a pensé que l'homme en l'estat où il se trouve maintenant, peust acquerir la iouissance du vray souverain bien en cette vie.” – nam quantacumque felicitate homo fruatur in terra, nunquam non tristis illi imminet *mors*. I. I. p. 118.

Ampliozem etiam concessit ei *suarum virtutum cognitionem*, quo magis excitaretur ad varia pietatis officia, ad amorem, ad gratias, ad fiduciam ¹⁾.

Variorum hominum immutatam conditionem nunc describit Amyraldus, multaque nova, quae inde oriuntur, officia. Primum de iis agit, qui *disparem* in societate humana locum occupant, de magistratibus et civibus, de heris et servis, de parentibus et liberis, de maritis et uxoribus; deinde de iis qui *pari* utuntur conditione, fratribus, civibus, amicis et inimicis. Multis verbis hinc quoque agit de *justitia* in mutuo commercio summo opere servanda ²⁾, ut etiam de *veritatis* et *fidelitatis* amore. *Amicitiae* varia genera variosque gradus recenset: talem praeter ceteris laudandam esse dicit, quae virtutis fundamento innitatur ³⁾. De *hostibus* et *inimicis* tractandis longe alia Naturam docere monet, quam quae vulgo Gentes hac de

1) *Cultus* quoque, qui in naturae integritate *adoratione* et *gratiarum actione* tantum consisterat, post lapsum latiore ambitum. Nunc enim *precibus* quoque Deus adeundus erat, nec *sacrificia* diu desse poterant. l. l. p. 206-226.

2) Multa hic egregia dantur *mercatoribus* praecepta, „quamquam qui vere probi sunt nullorum hac de re praeceptorum indigeant, praeter iis, quae bona dat conscientia.” *Pecuniam fenori dare* sine dubio licere monet Amyraldus (l. l. p. 529), modo caveat unusquisque, ne hac quoque in re quid fiat contra honestatem et moderationem.

3) „Si deux hommes *vertueux* s'ennuisagent attentivement l'un l'autre et par la fréquentation reconnoissent la beauté de leurs ames reciproquement, il ne se peut faire, que ces mutuelles idées de vertu qui se communiquent de l'un à l'autre trouvant des objets si disposés à les recevoir, ne les enflamment d'une ardeur de dilection, qui n'est pas imaginable.” l. l. p. 640.

re senserint; eam enim quam maxime omnes adhortari ad moderationem et humanitatem.

Universe aliorum virtutes nobis imitandae, vitia contra effugienda sunt. Quodsi interdum *improbum* hominem *prosperitate gaudere* videamus, cavendum est, ne nimis illa res indignationem nostram moveat; nescimus enim, annon prosperitate illa utatur Deus, ut immensam suam patefaciens benignitatem ad virtutem colendam eum hominem incitet atque permoveat.

Variis sic universe expositis, quae Natura homini praescripsit, officiis, altero iam hujus Partis volumine accurate Amyraldus inquit, quibusnam animi *facultatibus* praeditus sit homo, ut bene illis perfungatur, et quibusnam *virtutibus* animum suum exornare debeat, ut summum bonum attingere possit; multaeque igitur hinc recensentur virtutes (iisque opposita et repugnantia vitia), quae aut in *Intellectu*, aut in *Voluntate* aut in *Appetitu Sensuali* sedem suam habent.

Primis illis annumerandam esse monet *scientiam*, quae est »rerum cognitio ex earum causis”¹⁾, et *sapientiam*, sublimem illam virtutem, quae Mathematicis quoque et Physicis scientiis operam dat, sed praesertim Metaphysica

1) Duo praesertim vitia hic vitanda esse monet auctor: et stultam *obstinationem*, qua quis olim propugnata sententiam nullo pretio mutare velit; et duriolem *suspensionem* (*ἔποχην*) et *scepticismum*, qui de omnibus rebus dubius haereat, nec de ulla verum proferri posse contendat iudicium. Nasci talem scepticismum dicit vel ex intellectus *inbecillitate* naturali, vel ex scientiarum *imperfecta cognitione*. Quominus autem veritatem agnoscere velint homines, saepe quoque impediunt *mores dissoluti* et vana quaedam *superbia*.

spectat; quae igitur non tantum humano intellectui egregio est ornamento, sed simul ad pietatem et sanctitatis amorem hominem impellit, quum rerum coelestium, Angelorum quoque ¹⁾, immo ipsius quidem Dei notitiam et scientiam sibi comparare studeat; porro *artem*, cujus varia describit auctor genera, quorum pretium ad virtutem colendam apte dijudicat; tandem *prudentiam* ²⁾, quae in *politicam, oeconomicam et moralem* dividi potest, magnumque praebet usum ad civitates bene regundas, ad res domesticas rite administrandas, et ad totam vitam probe pieque agendam.

Inter virtutes, quae in *Voluntate* sedem habent, primum locum Amyraldus occupare monet *veritatis* amorem, quae unicuique maxime cordi esse atque omni tempore vindicari ac servari debet, et erga illos, quos tanquam superiori loco positos veneramur, et erga eos, qui

1) Si satis attento animo Universum contemplant homines, qui sub Naturae Dispensatione vivebant, haud dubie, ex Amyraldi sententia, de Angelorum quoque existentia et operibus notitiam aliquam sibi acquirere potuissent. Pulchram simul hic instituit ille comparisonem inter *Angelos* et *Deum*, quo magis hujus appareat excellentia et absoluta perfectio. „En Dieu, tout ce qui peut tomber sous la conception de l'Entendement humain est comme un grand et merveilleux diamant, qui dans la pureté inénarrable de son estre, contient éminemment toutes sortes de perfections, sans recevoir pourtant en soy aucune réelle impression ny aucune alteration de ce que nos entendemens, comme une petite lumière externe qui s'y applique et qui y refreschit, y pensent voir de distingué et de variable.” I. I. vol. III. p. 151 sqq.

2) „Les opérations de l'*art* sont telles, qu'on bien elles laissent après elles quelque ouvrage qui subsiste, ou au moins s'exercent-elles sur quelque sujet matériel qui les rend sensibles et remarquables . . . Au lieu que la *prudence* non seulement ne produit point un ouvrage qui subsiste, mais mesmes elle n'agit pas sur une matière aussi sensible.” I. I. p. 167 sqq.

eadem nobiscum utantur conditione et erga inferiores. Nec minus illa servanda est, ubi de nobis ipsis loquimur; unde ab altera parte oritur *modestia*, quae appetituum nimiae ambitioni frenum imponit, ab altera *magnanimitatis* studium, quae pulcherrimas quasque virtutes sibi comparare cupit, nec earum laudes jure sibi tributas spernit ¹⁾.

Appetitus sensualis deinde habitus illi contemplantur, qui vulgo *motus* sive *affectus* animi vocantur, qui *natura sua nec boni nec mali* dici possunt ²⁾, boni autem vel mali fiunt, prouti rationis voci obediunt, aut illam negligentes gravissimam in intimo homine pugnam excitent. Deinceps hinc agit Amyraldus de ira et de moderatione, de timore et de securitate, de pudore et de impudentia, de misericordia et de animi durtia, de indignatione (*nemesis*), de invidia ³⁾, et de aemulatione; copiose disputat

1) „Le *magnanime*, selon Aristote, est un homme eminent en toutes sortes de vertus, et qui par la connoissance et le sentiment qu'il en a, s'estime digne des honneurs proportionnés à son mérite, et qui, par conséquent, sont les plus grands que les hommes puissent esperer.” — Hanc summam magnanimitatem esse putat Amyraldus, ut solius virtutis solatium alicui sufficiat, atque sic appareant virtutis excellentia et animi firmitas inconcussa. Cf. l. l. p. 348 sqq.

2) „Comme, encore que le vent cause des tempestes... il n'y a pourtant ny pilote, ny marchand, qui voulust qu'il n'en soufflast point,... ainsi, bien que les *passions* emportent souvent les hommes à de grands exces, il n'y a point d'homme veritablement vertueux, qui en souhaite l'entiere extirpation, et qui ne prefere en sentir quelquefois quelque turbulente agitation.... Le pretendu sage des Stoiciens avec cette denaturée insensibilité seroit... comme une statue douée d'intelligence.” l. l. p. 404.

3) „La *misericorde* vient de la consideration du mal d'autrui, quand on ne l'en juge pas digne. — La *nemesis* ou l'*indignation* naist de la

de horum affectuum indole, indicat, quid in iis laudandum, quid vituperandum sit, et egregia saepe dat praecepta, ut justis contineantur finibus, nec nimis animum conturbent.

Concluditur haec operis pars accurata variorum hominum *morum* contemplatione, secundum eorum *aetatem* et *conditionem*. Juniorum et seniorum hominum, pauperum atque divitum multa digito indicat, et severe carpit auctor vitia; nec tamen reticet, quibusnam illi virtutibus exornati esse soleant. Quid unicuique eorum observandum sit, ut Naturae praecepta teneat, haud paucis verbis hîc demonstratur.

Partis TERTIAE initio Amyraldus ostendit jam statim post lapsum singulari modo Deum hominibus sese patefecisse, eumque postea *populo suo, Abrahami proli*, magis magisque persuadere voluisse, *summam felicitatem* non in terra, sed in *coelis* quaerendam esse, ita ut paulatim intelligere potuerint veteres fideles summum bonum esse *vitam animi et corporis*, eamque *aeternam, coelestem, in Dei praesentia* ¹⁾. Summi autem hujusce boni posses-

consideration du bien d'autrui, quand on ne l'en juge pas digne non plus. - *Havie* vient de la consideration du bien d'autrui, sans avoir egard s'il en est digne ou s'il ne l'est pas, mais seulement parceque nous estimans estre à peu pres du mesme rang avec luy, nous ne jouissons pas de ce mesme bien qu'il a, ou bien si nous en jouissons, nous le voudrions posseder seuls." l. l. p. 584 sqq.

1) Haec autem expectatio quasi velo semper tecta remansit; fuitque *Moyse lunae* similis, quae lucem suam a *Sole* accipit, antequam ipse Sol adest; quam autem si adspicis, melius pararis, ut mox orientis Solis omnem ferre possis splendorem. „Et tous les fidelles qui ont vescu depuis Moyse, jusques à l'advenement de Jesus Christ, ont puisé dans les

sionem nullis promisit Deus nisi iis qui *crederent*, qui fidem nempe haberent *Naturae institutis* a Moyse et Prophetis confirmatis, *rerum peractarum narrationi*, *rerum futurarum praedictioni*, et praecipue Dei *promissis*.

Tali fidei talique pietati adaugendae haud parum inserviebant quatuor prioris tabulae leges Mosaïcae, quibus ad Dei cultum populus Israëliticus excitabatur; nec minus *promissa* quaedam *Evangelica* sub Oeconomia Legali a Deo jam data, et ubique in V. F. dispersa. His quoque annumerat Amyraldus et *doctrinas* nonnullas (quales sunt doctrinae de Dei justitia et misericordia), et *promissa ad Messiam spectantia*, et *typos*.

Ostendit porro, quantopere fidelium pietatem fulserint et auxerint omnes, quas Lex praescripsit, *cerimoniae*: fuse agit de Sabbatho, de sacrificiis, de lavationibus, de thuribus, de festis solemnibus, earumque caerimoniarum exponit ritum constitutum, usum moralem, et significationem symbolicam. Cum singulari cura hîc etiam attendit ad *circumcisionem* et ad *agnum Paschale*, necnon ad *extraordinaria* pietatis adjumenta, qualia erant angelorum apparitiones, dona prophetiae, miracula et etiam populi jejunia et vota.

Ecrits de Moyse toutes les instructions qui leur ont esté nécessaires, tant pour connoistre leur souverain bien, que pour y diriger leurs actions, et si les revelations des autres Prophetes ont adjousté quelque chose à celles de celuy-là, comme il est certain que cette lumiere est allée croissant à mesure que les temps se sont approchez de celuy de la manifestation du Sauveur, ç'a esté comme si Dieu eust attaché quelques nouvelles estoiles dans le ciel, qui *accroissoyent* bien à la verité, mais qui ne changeoyent point pourtant la *nature* de la clarté des precedentes." I. I. Vol. IV. (= Pars III) p. 15.

Postquam sic accurate disputavit de iis, quae sub V. T. docerentur de *pietate erga Deum*, de veterum fidelium loquitur *patientia* ¹⁾, de qua virtute Moyses quidem nihil dixerat, quam tamen egregie saepe coluerunt Israëlitas, qui scilicet nec Pyrrhonistae erant, nec Stoïci, nec Epicuræi (quorum philosophorum sententiam de calamitatibus tolerandis hinc oppugnat Amyraldus); et ad cuius virtutis studium variae res haud parum illos adhortabantur.

Singulari modo ad pietatem excitabantur Israëlitas multis illis praeceptis, quae et Pontificibus, et omnibus qui in Tabernaculo cultus quodammodo curam gerebant, summam commendabant et praescribebant *munditiam* et *vitae sanctimoniam*. Haec nempe et Pontificibus illis ac Levitis, et toti populo sublimem prorsus opinionem addere debebant de Dei majestate et sanctitate, et de religionis suae excellentia, quae singularem igitur ab iis pietatem requirebat.

1) Roganti, quare hic agatur de illa virtute, de qua nil dixit Moyses, ipse auctor noster respondeat (Vid. l. l. p. 315 sqq.): „J'eusse peut-estre differé à traiter de la patience, parceque Moÿse n'en a rien enseigné disortement, si un grand et fascheux *accident*, dont il a pleu à Dieu me visiter lorsque j'estois sur la meditation de la fin du chapitre precedent, ne m'auroit obligé de faire reflexion sur cet objet-là, et d'y tourner ma pensée.” Multis deinde verbis narrat se ambulantiem in plateam cecidisse, qui lapsus illius fœtur gravissimis doloribus affecerat. „Cel accident, dont apres deux mois j'endure encore de grandes incommodités, m'a beaucoup confirmé dans l'opinion que j'ay tousiours eue, que de tous les maux physiques... le plus vray et le plus réel est la douleur corporelle.” Quum autem sola *patientia* prohibere possit, quominus in tali casu versantes aliquid faciamus aut cogitemus, quod Deo indignum, illive minus gratum sit, disquisitione hinc opus esse dicit auctor, et quare Moyses nil de hac virtute dixerit, et undenam praecepta hac de re Israëlitas sibi comparare potuerint.

De *caritate erga proximos* deinde agitur et ostenditur, quomodo ad illam abunde excitarentur Israëlitae, et sex *alterius tabulae*, et permultis aliis praeceptis, quae Mosaïcae institutionis prae Naturae legibus praestantiam aperte probant, quippe quae caritatem etiam commendat erga pauperes et peregrinos, erga viduas et orphanos et Levitas ¹⁾.

Mitis legislationis Mosaïcae indoles splendide quoque patet ex praeceptis illis, quae de bellis gerendis dederat Moyses, quae, quum bella plane abrogari nequeant, a saevitia et ferocitate quam alienissima sunt, et humanitatem contra benignitatemque commendant. *Militarem* Israëuitarum *fortitudinem* magnopere excitatam esse dicit Amyraldus Dei oraculis editis, arcae sacrae in mediis agminibus praesentia, et melioris vitae spe. Comparatione jam instituta inter *virtutem heroicam* ²⁾ eorum, qui sub Foedere Naturae et qui sub Legis Foedere vivebant, satis apparere dicit auctor noster Judaeos prae gentibus longe eminuisse non adeo artibus et scientiis sed sapientia praesertim et prudentia, necnon justitia, temperantia et for-

1) „Dien avoit trois relations à l'égard de ceux qui habitoient autrefois la Judée, à sçavoir de *Legislateur* et *Prince* politique et souverain, de *Createur* de l'Univers et du genre humain, et de *Redempteur* du monde. En ce premier egard il a conuenu à sa *sagesse* et à son *equité* qu'il donna des loix, qui se recommandassent elles mesmes par l'exactitude de leur droiture, mesmes enuors les estrangers... Au second, il a esté convenable à sa *bonté* de temperer tellement la republique d'Israël, que ceux qui la composoyent se souuissent qu'ils estoyent hommes, et qu'ainsi ils se revestissent des sentimens d'humanité. Au troisieme, il a conuenu à sa *misericorde* qu'il imprimast dans le coeur de ses fidelles le desir d'attirer les autres hommes à sa connoissance." l. l. p. 578.

2) Ita, Aristotelem secutus, vocat talem *virtutum complexum*, ut qui eas omnes possideat, non homo sed Semi-Deus (Heros) esse videatur.

titudine, neque mirum illud videri posse monet, quum inter Judaeos nempe *virtutis imago* singulari Dei patefactione Deique Spiritus operatione et illustrius appareret, et profundius animis infigeretur.

Postquam etiam ostendit *magnificentia* ¹⁾ Israëlitae (praesertim Salomonis tempore) ceteras gentes longe superasse, ultimo hujus partis capite inquiri auctor, quanam *efficacitate* adaptati fuerint Israëlitae, ad omnes illas pietatis et caritatis virtutes colendas. Prouti nempe illi erant *homines* et *Judaei* et *fideles*, in nonnullos vim habuisse monet *Providentiae* divinae cognitionem et reverentiam, in nonnullos *Legem* et *Servitutis Spiritum*, in nonnullos vero etiam singularem efficacitatem habuisse *Spiritum adoptionis et sanctificationis*.

QUARTAE operis sui parti pulcherrimam praemittit Amyraldus delineationem *summi*, quod Christianis propositum atque promissum est, *boni*, quo magis aeternae illius, felicitis et sanctae vitae spes et imago lectores incitet ad omnium virtutum Christianarum assiduum studium.

Religio Christiana non *alium* nobis indidit *animum*, nec *alias* nobis concessit *animi facultates*; hae vero Spiritus Sancti operatione malis, quibus antea inquinatae erant, liberantur *habitibus*. — *Virtutes* autem novas quasdam illa easque *extraordinarias* intellectui addidit, quum Apostolis primisque Christianis mirifica illa concederentur Spiritus Sancti dona, quae nostris temporibus haud diutius cernuntur. *Ordinariae* autem quae dici possunt,

1) „*La magnificence*” est illa virtus, quae divites et pollentes decet, quemadmodum *largitas* et *liberalitas* omnes omnino homines convenit.

novo quasi splendore sub Euangelii Oeconomia enitere debent. *Scientia* nempe *Christiana* non adeo humanas doctrinas, sed praesertim Verbum Divinum et religionis doctrinam spectare, nec viris doctis tantum et Theologis, sed unicuique omnino Christiano cordi esse debet.

Nec minus *prudentia* omnibus Christi sectatoribus opus esse docet auctor noster, latissimeque patere ostendit illius usum atque fructum.

Fides Christiana, quae Spiritus Sancti donum est, quod tamen intellectus noster avidè arripere debet, amplectitur omnia, quae Verbo Divino continentur, vel accuratius *historiam redemptionis nostrae salutisque promissa*. Egrege illius incremento prodesse monet Amyraldus bonorum librorum lectionem ¹⁾, Verbi Divini praedicationem, Sacramentorum usum et praesertim preces. Ut autem fides illa revera fructifera sit, firmissima cum illa conjuncta esse debet *fiducia* ²⁾, Dum promissis suis stare velle atque posse, ex qua simul orietur certissima *spes* aeternae salutis, quae in terra jam felices nos reddet atque lactos.

Pietatis, quae harum virtutum Christianarum necessarius erit fructus, omnes et *publicos* et *privatos actus*, multis verbis nunc recenset Amyraldus; ne levissimas

1) Minime autem eorum librorum, in quibus controversiae theologicae Scholastica methodo tractantur.

2) „La Foy, à mon avis, doit estre principalement considerée en ce qu'elle regarde et embrasse les promesses de l'Euangile en tant que promesses, et à l'égard de leur verité. — La *confiance* regarde proprement les vertus diuines, desquelles depend l'exécution de ces promesses et la manifestation de leur verité dans l'œuement. — *L'esperance* a pour obiet les choses qui sont promises, et desquelles ces vertus diuines doiuent nous mettre en possession,” l. l. Vol. V. (≡ P. IV) p. 169.

quidem res, quae huc referri possunt, silentio praetermittit, suorumque aequalium improbos vel parum honestos mores sine ullo hominum discrimine candide et aperte castiget.

Nec sane *incitamentis* ad talem pietatem Christiani carent; abunde hęc ostenditur, quantopere haec emineant prae omnibus illis, quae sub Foedere Naturae et Legis hominum animos ad pietatem incitabant.

Et quod ita valet de pietate erga Deum, sub Evangelii nempe Oeconomia latissimum illam nactam esse ambitum, firmissimumque fundamentum, eodem modo quoque valet de *caritate erga proximos*.

Horum proximorum primum variam religionem considerans, auctor noster ostendit, quatenam sint Christianorum officia erga Ethnicos et Turcas et Judacos, erga haereticos etiam et Romano-Catholicos, tandemque erga fideles Christianos. — Sex alterius deinde legis Mosaicae tabulae praecepta respiciens, inquit, quomodo his Christianos obedire oporteat, et quanti, ut his rite quoque fungantur officiis, Dei valeat accuratior nostra cognitio, Christi praestantissimum exemplum et Spiritus Sancti fidelium animos illuminantis efficacia.

Summam denique caritatis Christianae perfectionem, quam *caritatem Christianam heroicam* vocat ¹⁾, tribus praesertim monet consistere rebus: 1^o ut inimicos diligas, 2^o ut pro fratribus vitam deponas ²⁾, 3^o ut velis pro fratribus

1) Eodem sensu, quo antea de fidelium sub V. F. viventium *virtute heroicâ* locutus erat. Vid. supra p. 53.

2) 1 Joan. III: 16. „P'estime," addit „que S. Jean a voulu icy représenter quelle doit estre la *disposition de nos esprits*, et nous donner à entendre, que nostre charité envers nos freres doit estre si vehemente que

anathema esse, » quod Paulus Apostolus voluit esse pro Judaeis, significans se velle pro iis physica (non vero morali) parte felicitatis aeternae privari.”

Ubi sic ostendit Amyraldus, quasnam Euangelium *omnibus* hominibus Christianis universe commendet virtutes, et quatenam omnibus pietatis et caritatis officia imponat, totum jam huic operis parti alterum adjicit volumen, ut ostendat, quatenam *singulis* praestanda sint pro *variis*, quibus in Ecclesia et in Societate humana utuntur *conditionibus*, ut nullo non tempore nomine Christiano dignos sese praebeant.

Et primo quidem loco hic agit de *Evangelii Ministris*, quippe quos in omnibus rebus indolis vere Christianae et bonorum morum exemplum dare ¹⁾, atque sic Pauli cum exemplum tum adhortationes sequi oporteat; deinde inquit, quatenam sint officia eorum, qui *Presbyteri* nunc vocantur, et quatenam *Diaconorum*.

Seorsim tunc fuse recensentur officia eorum, qui generis sui *nobilitate* insignes sunt, qui magistratum in civitate gerunt, qui *divitias* magnas possident atque *opes* ²⁾, qui

si le Christianisme le permettoit, nous ne fissions point de difficulté de mourir en leur place... sans d'autres motifs que ceux qui paroissent dans les qualités de nos freres, et dans l'exemple de Jesus-Christ .. Et une telle constitution de l'esprit constante, n'est-ce pas une vertu heroïque?" l. l. p. 804 aqq.

1) „Comment, dit-on d'un predicateur que l'on n'estime pas homme de bien, veut-il faire croire à autrui ce qu'il ne croit pas luy-mesme? Ou quelle grace a-t-il à nous parler à la pieté, à nous exhorter à la charité, à nous inciter à la temperance, à la verité, à la sincerité, puisque sa vie demont sa predication?" l. l. Vol. VI (Suite de P. IV) p. 12.

2) Admonentur ut re sua familiari bene utantur ad respiciendae usum

militaribus funguntur muneribus ¹⁾, qui *medicinam* exercent ²⁾, *mercatorum* denique, *fabrorum* et *agricolarum*. In condemnandis vitiis, quae et corrigendis vitiis varios hosce hominum ordines inquinare solent, severum agit censorem; solent: quam maxime contra virtutes commendantur, quas,

et ornamentum, ad Evangelii propagationem, ad pauperes sublevandos. Qua occasione simul his laudibus extolluntur nostrates: „On doit donner cette louange aux *marchants des Pays-Bas*, qu'ils usent bien de leurs richesses envers les indigens, et qu'il n'y a point de lieu au monde, où on ait tant de soin des pources." l. l. p. 507

1) Ubi hic etiam de Provinciarum et urbium Procuratorum officiis loquitur Amyraldus, inter alia haec legimus (l. l. p. 627.) „Nous voyons depuis quelque temps en divers endroits de ce royaume, que le zele de quelques-uns des *Catholiques-Romains*, les porte à *rasier les enfans* de ceux de la Religion, pour les *faire instruire* dans les *cloistres*, et quand on s'en plaint aux juges et aux magistrats, on y trouve de la rigueur, que l'on colore du *soin de l'education* de ces enfans et du *salut des ames*." Contra tale nefas (cujus generis, eheu, nostri quoque dies tristissimum nuper dedere exemplum, sub ipsius, sanctissimi qui dicitur, Papae oculis perpetratum!) altam Amyraldus tollit vocem: „Ceux de nostre religion", inquit „se plaignent avec raison qu'on abuse ainsi de la foiblesse de leurs enfans en un age, auquel ils ne sont pas encore capables de choisir une religion, et qu'on les leur debauché par des cajoleries et par des promesses... Quelle iustice y peut-il avoir qu'on oste à leurs peres des enfans qui ne sont pas encore parvenus à la puberté, pour leur faire donner telles impressions que l'on veut par des nonnains et par des moines?... La loy de la Nature et de la Raison nous oblige de croire que les enfans ont besoin de la conduite de leurs peres, et que c'est à eux qu'il en faut laisser l'education, et non pas les leur dérober sous pretexte de *deuotion* et de *zele*."

2) Horum mentionem se facere monet Amyraldus, èt ob artis illius objecti, corporis nempe humani, praestantiam, èt ob egregiam doctrinae copiam, quae in illis viris requiritur, èt ob pulchros fructus, qui ex hacce arte nullis non hominibus redundant, denique quia qui hanc artem exercent turpioribus interdum inquinantur vitiis. l. l. p. 23 sqq.

pro sua quisque conditione omnes sectari debent, ut ex tota Christianorum vita appareat, quantopere Euangelii indoles omnibus antecellat et Naturae et Legis Mosaïcae institutis. —

Totius Amyraldi de *Ethica Christiana* operis conspectum igitur quendam dedimus. Cujus operis ¹⁾ indoles ut melius jam cognoscatur, de nonnullis Ethicae Christianae locis nunc accuratius videamus quatenam sit illius sententia.

SECTIO ALTERA.

QUAENAM FUERIT AMYRALDI DE NONNULLIS ETHICES
CHRISTIANAE LOCIS SENTENTIA, SINGULATIM
EXPONITUR.

§ 1.

De Summo Bono.

Summum bonum, quod omnium nostrarum actuum scopus sit habendum, necessario adesse debere, sponte patere monet Amyraldus. » Si nullum, » inquit ²⁾, » tale adesset bonum, nullus talis scopus, actus nostri et desideria aut plane *comprimenda* nobis essent, aut infinitus iis concedendus esset *ambitus*, dum nulla quamvis magna felicitas nobis satisfa-

1) Cui in fine non deest *approbationis iestimonium* eorum, quibus librorum ad religionem spectantium examen mandatum erat.

2) *La Mor. Chrest.* I. p. 125 sq.

cere posset. *Harum* autem rerum *neutra* nec viribus nostris apta, nec Naturae institutis consentanea est. Frustra enim Natura, quae felicitatis desiderium omnium animis infudit, *appetitus* nobis dedisset, qui nunquam non felicitatem illam appetunt, si illius attingendae potestatem simul nobis abnegasset, infinito summum bonum inter et nos ipsos spatio interposito."

Summum hocce bonum *quid sit*, et quamnam illius *notitiam* variis temporibus sibi comparare potuerint homines, accurate Amyraldus investigat. Ubi de homine Naturae integritate gaudenti agit, copiose refutat eorum philosophorum sententiam, qui aut *divitias*, aut *honores*, aut *voluptatem* summum bonum esse putarunt. Ne *animi* quidem *voluptatem* quae bonarum actionum fructus est, hoc nomine insigniendum esse dicit, licet haec sane jure corporis voluptate multo excellentior habeatur. » Nulla enim res per se bona est et digna quam amemus, nisi una *Virtus*; voluptas inde profectura ad ejus cultum excitare potest; homo autem vere probus virtutem coleret, etiamsi nullus inde sibi oriretur fructus ¹⁾. Illa sola revera *bona* et *pulchra* est, dum ceterae omnes res, cum illa collatae, multo minori laude digna sint, atque *utiles* tantum et *jucundae* dici mereantur." Virtutis praecipua pars utrum illius *habitu* consistat, an vero *actibus* ab illa pro-

1) „Quant aux hommes, à qui la Providence a donné une raison qui leur est interne, et qui les rend capables de la connoissance de leurs propres fins, s'il leur est permis, entant qu'ils sont *sensuels* comme les autres animaux, de s'y laisser en quelque façon attirer par les appas de la volupté, la cause predominante pourtant qui les y doit inciter, est celle qui leur convient entant *qu'ils sont hommes*." l. l. p. 141.

latis, in dubium vocatum est: at nec certo boni actus ad summam pervenire perfectionem et pulchritudinem, nisi ab excellentibus habitibus profecti sint, nec ab altera parte quicquam valent, boni habitus, nisi bonas proferant actiones: unde patet virtuti veri nominis harum duarum rerum *conjunctione* opus esse.

Ad hocce summum bonum nonnulla alia bona accessisse monet auctor, quae illius valorem et jucunditatem mirifice augerent. Huc refert spem semper homines eo bono gavisuros fore, nexum inter bonum physicum et morale, quorum prius alterius fructus sit, nec minus, quae ex virtutis cultu oriri debeat, perfectam communionem cum Deo; quae omnes res, nobis singulari patefactione notae, attamen etiam in naturae integritate sine dubio ad hominum notitiam pervenissent.

Felici illa integritatis conditione postquam privati sunt homines, omnis simul iis ademta est spes et facultas, unquam in hacce vita terrestri summi illius boni recuperandi. Et summi cujusdam boni *supernaturalis* notitiam qualemcunque etsi sibi comparare potuissent gentes ¹⁾, *extraordinaria* tamen Dei institutione opus erat, ut ad illud homines animum attenderent.

Talem quidem institutionem Deus ab initio populo suo Israëlitico dedit, ut illum gradatim doceret, non in terra, sed in coelo summum bonum quaerendum esse. Licet haec immortalitatis et vitae melioris spes sub tota V. F. oeconomia quasi velo tecta remanserit, Deusque terrestrem felicitatem magis quam coelestia bona populopromittere videre-

1) I. I. II. p. 135 sqq.

tur, vel sic tamen variis rebus, necnon ipsorum illorum promissorum natura et vi eo adduci potuerunt ut terrestribus meliora exspectarent; » et sic magis magisque intelligere debuerunt summum bonum fore *vitam animi et corporis, coelestem, aeternam, in sanctissimi Dei praesentia.*”

Extraordinaria autem illa Dei institutio et patefactio de vita aeterna, hominis summo bono, plenissime iis data est, qui sub Euangelii luce vivunt. Et quamvis ne nunc quidem omnis satis revelatus sit felicitatis illius ambitus, quam in coelo nobis concedet Dei gratia, quaecunque tamen de illa novimus et mente nostra concipere possumus, tam egregia et beata sunt, ut haec notitia haud parvus stimulus esse debeat ad omnes eas virtutes Christianas colendas, quae solae ad summi illius boni possessionem nos ducere possint.

Hujus summi boni, qui finis est quo Christianorum hominum omnes actiones tendere debent, delineationem quartae operis suae parti praemisit *Amyraldus*, quae egregie boni illius praestantiam demonstrat. Summam eorum, quae vividis coloribus ille depingit, breviter hinc tradere juvat ¹⁾. Simulae hominis pii ac vere Christiani animus morte a corpore sejungitur, liberatur variis iis officiis, quibus habitatio in corpore illum obstrictum tenebat, nec minus omnibus iis rebus, quibus propter conditionem nostram physicam subjectus erat, inter quas peccati vis primum locum occupat. Deinde animus recipitur in sanctissima Dei habitacula, in Dei quasi sanctuarium ibique adjungitur beatorum spirituum et sanctorum An-

1) l. l. Vol. V. p. 7 sqq.

gelorum consortio. Nec corporis jactura et triste fatum dolore nos afficiet, nam ex carnali corpore aliud quoddam spirituale Deus resuscitabit, quod cum animo nostro magno illo extremæ resurrectionis die jungetur. Ipsa, qua in coelo homines pii ac Christo fideles gaudebunt, felicitas hæc potissimum rebus constabit, quod perpetuo ante oculos habebunt immensa virtutum Dei testimonia ¹⁾, quod nunquam non Domino nostro Jesu Christo aderunt ²⁾, et cum Angelis ceterisque beatis suavissimo utentur sodalitiis. Opus illorum assiduum erit Dei ejusque virtutum admiratio et glorificatio, unde oriatur Dei sapientiæ cognitio, quæ omnes terrestres scientiæ terminos longissime superet. In hoc denique felicitatis illius consummatio cernetur, quod in æternum illa permanebit, nulla re impediendo, quominus semper eodem modo animos impleat.

§ 2.

De actionum humanarum libertate.

De humanarum actionum libertate quid statuerit Amyraldus hand ita facile ex hocce illius opere intelligi ac

1) „...qu'ils contempleront en telle perfection, que cela s'appellera voir Dieu comme il est, au lieu que maintenant en comparaison nous n'en voyons qu'une fort imparfaite representation, et par maniere de dire, une ombre." l. 1. p. 16.

2) „...qui s'estant demis de cet empire qu'il exerce en qualité de Mediateur, se meslera avec eux, ne se reservant d'avantage et de precipu au partage de cette felicité, sinon qu'il y sera le premier né entre plusieurs freres." l. 1. p. 17.

dijudicari potest: ipsum enim, quo ductus fuit, accurate hanc rem definiendi et exponendi studium perspicuitati magis nocuisse quam profuisse nobis videtur. Brevibus autem verbis ejus opinionem exponere conabimur, respectu quoque ejus tractatus *de libero Arbitrio* habito.

Quae extrinsecus nobis offeruntur objecta, aut talia esse monet Amyraldus, quae intellectus observet tantum atque approbet aut improbet, aut talia, quae ad *actiones* quoque nos terant. Haec (de quibus solis hinc sermo esse potest) primum sensus nostros movent, deinde intellectus ea percipit, et iudicium de illis fert; tunc iudicio elato voluntas rem appetit aut evitat. Quam rem exemplo Evae peccantis satis superque illustrari putat.

In *statu* quidem *integritatis* appetitus sensualis, qui omnes hominis affectus amplectitur, intellectui quam maxime *subditus* erat, illiusque jussis facile obedientiam praestabat. Nec minus voluntas natura sua intellectui obtemperat; nequit enim illa ullam appetere rem, quam improbaverit intellectus ¹⁾. Quod nisi ita esset, necessario intellectus a voluntate penderet ²⁾; docet autem ex-

1) "Il arrive assés souvent, qu'il flotte deux objets en nostre entendement... Cependant la volonté demeure en suspens, ... de mesme que l'entendement... Mais au moment que l'entendement se resoit, il n'y a personne qui ne sente que sa volonté se determine de ce costé là, et qu'il n'est pas possible, qu'elle se porte à l'opposite de ce qu'enfin l'Entendement a prononcé estre expedient et raisonnable... Ceux là mesmes qui se donnent volontairement la mort, portent tesmoignage à la verité de ce que ie dis; parcequ'ils ne se la donnent point sinon pour euitier un plus grand mal, en comparaison duquel la mort leur paroist une chose *desirable*." l. l. p. 49 sqq.

2) "Car la Providence Divine et la Nature sont trop sages pour avoir

perientia, intellectus actus *objectis* et rebus *externis* tantum elici, illumque solum cognoscere causas cur hoc faciendum, illud omittendum sit; voluntatem vero coecam quasi esse facultatem, quae nullam actionum suarum distinctam ipsa habeat notitiam.

Quum igitur in conditione integritatis omnes illae animi facultates justo ordine operarentur, atque insuper intellectus »nec vi externa, nec externo imperio ad judicandum incitaretur», primus homo *natura sua* omnino gaudebat »libero arbitrio, seu libertate, i. e. facultate faciendi quod vellet.» ¹⁾ »Homo ideo dicitur esse praeditus libero arbitrio, quod duas illas facultates (intellectum et voluntatem) habet eo modo conjunctas et constitutas, ut quaecumque agit, *quatenus homo est*, ab ita utrisque proficiscantur, ut actio ipsa *non coacta sit, non bruta aut sui nescia*, sed *libera et spontanea et humana* denique» ²⁾. Nec tamen ideo Amyraldus hominem natura unquam prorsus *sui juris* fuisse docet; nonnullae enim res ita comparatae erant, ut homo actionem edens, non nisi Naturae voci obedire posset ³⁾; talibus vero rebus exceptis, quaecumque objecta aut appetenda aut fugienda, quaecumque res faciendae aut omittendae ipsius intellectui obversarentur, liberum omnimodo de iis iudicium efferre poterat. Nec si in integritatis statu permansisset homo, bene agendi *perpetuus habitus*

mis en nous deux maistresses facultés, par qui seules nous sommes hommes, pour les laisser toutes deux dans l'indépendance à l'égard l'une de l'autre.» l. l. p. 61.

1) l. l. p. 607. Cf. *de lib. arb.* p. 97, 195 alibi.

2) *de lib. arb.* p. 54.

3) *Mor. Chrest.* l. l. p. 605.

bonis illius actionibus libertatem ademisset, quia habitus nunquam vi cogit, aut in utramque partem judicandi facultatem tollit.

At ipso illo libero arbitrio usus ¹⁾ e beata illa conditione primitiva excidit homo. Post lapsum autem non eadem quidem fruitur libertate, qua in naturae integritate praeditus erat; ne tamen plane illa privatus est.

Sine dubio multae res externae nunc actiones nostras impediunt; nec omnes sensus atque membra iisdem semper, quibus antea, funguntur officiis, intellectusque insuper misere offuscatus est, ita ut nemo non peccato inquinatus sit. Praesertim *peccatum* quod *originale* dicitur, quod quidem non ad naturam nostram pertinet, sed nobiscum tamen nascitur, vitiositatem actionum nostrarum quam maxime adauget, et voluntatem nullius non hominis ad malum semper inflectere conatur ²⁾. Nec objiciat quis, hominis *corpus* tantum propagari, ideoque *appetitum sensualem* modo peccati labe inquinari; nam ubi appetitus sensualis corruptus est, jure *totus homo* corruptus dici

1) „Comment s'imaginerait-on que Dieu eust voulu gaster un ouvrage, qu'il auoit composé avec tant de sagesse et tant de bonté?... Comment est-ce que Dieu auroit peu induire l'homme à pecher, puisque cela deuoit produire sa ruine inéuitable? Partant, l'homme a esté laissé absolument en sa *liberté* de ce costé là, et si Dieu luy a inspiré au dedans quelques mouuemens, il faut indubitablement, que çait esté pour bien faire." I. I. p. 615.

2) „Elle fait l'homme *meschant* et deprave ses affections, et corrompt toutes les operations de ses puissances. De sorte que si Dieu la laisse aller selon sa propension naturelle, il n'y a sorte de mal à quy elle n'emporte les esprits des hommes avec une licence si debordée, qu'il ne s'y peut rien adiouster." I. I. Vol. II. p. 112.

potest ¹⁾. Contentio illa rationem inter et appetitum sensualem continue vehementior fit, » doncce tandem homo adeo imbutus sit male agendi cupidine, adeoque erroribus ac tenebris repletus, ut nil omnino boni agere possit.”

Verumtamen etsi tam tristem hominis ab integritate delapsi fateatur Amyraldus esse conditionem, libertatem ei non ademtam esse putat. Nam licet permultae res externae actiones nostras impediunt; licet sensibus et membris non libere saepe uti possimus; licet ipso Intellectus non semper libere agere dici possit et externas ob causas et organorum defectu, et malorum Spirituum machinationibus; licet peccandi consuetudo peccato magis magisque nos obstringat, *actiones* tamen nostrae *morales* (*virtutis et vitii cultus*) omnimodo *voluntariae* dici debent. De actionibus enim talibus faciendis aut non faciendis unusquisque etiamnunc *consilium capere* potest, nec *vi* quisquam ad vitia *cogitur*; depravata facultatum conditio et multae aliae res efficaciam quidem in animum nostrum habent, attamen non impediunt, quominus faciamus *quod velimus*, sive bonum sive malum ¹⁾. Peccatum quidem

1) „Comme un poulain qui dès le ventre de sa mere a quelque foiblesse dans les iambes, quelque égarement dans la bouche, qui le rendra indocile au mors, et quelque chose d'indomtable et de refractaire dans son lument, doit estre dès là tenu pour mauvais dans l'espece des cheuaux.” l. l. p. 40. Cf. *de lib. arb.* p. 153: „Quum appetitus sensitivus deberet esse ita constitutus in homine, ut rationi pareret, propagatur a parentibus in liberos adeo perturbatus, ut postquam ad eum in foetu accesserit anima rationalis, *totum illud subjectum*, quod ex utraque illa re compositum est, sit *peruersissime* constitutum.” Ex hoc loco simul patet, in animi origine explicanda, *Creatianismo* Amyraldum favisse.

1) Si les hommes *veulent* faire le bien, c'est-à-dire aimer Dieu et

impedit hominem (ut antea jam Amyraldum dicentem audivimus ¹⁾, quominus facere *velit* bonum, illumque incitat ut *velit* malum facere, id vero talibus adhibitis argumentis et incitamentis, ut illi non nisi suos affectus, suamque ad vitium propensionem malarum suarum actionum accusare possit" ²⁾. Ne *peccatum originis* quidem, quod adeo hominem corrumpit, quoad actiones morales libertatem illi adimit, quia *rerum moralium naturam* illud non immutat, nec intellectui nostri *consiliis vim* ullam infert ³⁾.

»Nec ubi nativa hominis corruptio a *Dei Spiritu emendatur*, ab hac illius libertas tollitur operatione, sive ut

leur prochain, qu'est ce qui les en empescheroit? N'ont-ils pas un entendement et une volonté *capables* de ces operations, s'ils les appliquoyent à leur usage? A-t-on jamais veu homme, qui voulust constamment et véritablement estre homme de bien, et qui neantmoins ne le fust pas?" l. l. p. 88.

1) Vid. supra p. 45.

2) „J'ay desia dit et repeté diuerses fois par les paroles d'Aristote mesme, que c'est une chose impertinente tout-à-fait, que d'appeler forcée ou *non volontaire* une action, que nous n'auons faite sinon du mouuement de nostre volonté seulement, et apres une delibération dans laquelle rien ne nous a obligés à nous déterminer de ce costé-là, fors l'esperance de la iouissance de quelque contentement, ou de quelque accommodement dans nos affaires." l. l. p. 89.

3) Cf. *de lib. arb.* p. 189 sqq. Illic. e. g. legimus: „Mea sententia, si Deus omnes homines *natae suae corruptioni* permitteret, omnemque Providentiae suae efficaciam sustineret... nemo esset qui... omnium vitiorum foeditate Nerones et Caligulas et Sardanapalos... non aequaret aut superaret. Attamen non propterea putandum esset homines esse *libertate sua privatos*. Nam ni fallor non eo quod tanta fuit in Nerone et Caligula et tam desperata nequitia, minus *libere* tamen fuere nequam, minusque ea de causa *culpandi*. Quis enim eos *vi coëgit* esse malos? Nonne sponte animi in flagitia ruere?" Ib. p. 178.

semel facta est spectetur, sive ut continuatur jam vi decreti divini, et earundem operatione causarum, ex quibus duxit originem. Nam et haec gratia divina nulla vi animis obtruditur, nec semel eos occupans, irresistibili aliqua vi ad bonum voluntatem impellit. Ut autem actiones, quae ex gratia proficiscuntur, liberas esse nemo negaverit, sic inficias nemo sanus iverit, quin eae itidem liberae sint, quae originem trahunt ex reliquiis corruptionis. Si autem fieri posset, ut quis esset in hacce terra, qui Dei juvante gratia ad *perfectam regenerationem* pervenisset, illi haud dubie necesse esset esse purum et bonum et sanctum in perpetuo vitae tenore. Quod quid aliud est quam *libertatem cum necessitate* consociare? . . . Talis homo liber esset et tamen ad bonum necessario determinatus. Verum res est de vita coelesti extra omne dubium constituta, fore illam ne levissima quidem peccati labe contaminatam . . . Erimus ergo necessario sancti. Aut igitur consistit necessitas cum libertate aut nullus est futurus in coelo libertati locus." 1)

Patet nobis ex brevi hacce expositione Amyraldum in dirimenda tota hac quaestione de hominis libertate varias res et notiones non tam accurate distinxisse, quemadmodum illud nostris diebus a viris doctis fieri solet; nec omnia quae ad quaestionem pertinent hîc tractata esse. Hoc praesertim sibi proposuit, ut investigaret utrum homo et quoad *naturam suam* et etiam nunc *post lapsum* praeditus sit facultate faciendi *quod velit*, utrum illius *actiones morales* liberae et spontaneae dicendae sint, atque igitur

1) *de lib. arb.* p. 180, sqq.

homo malarum suarum actionum culpam et poenas ferre mereatur, nec ne. De gravissimo autem hoc argumento haud pauca rectissime animadvertisse videtur Amyraldus; ita nempe ut ab altera parte ostendat non prorsus *sui juris* esse hominem, nec varias res in intellectum nostrum et voluntatem vim habere neget, et necessitatem cum summa libertate conjunctam esse posse concedat; ab altera autem parte hominis *libertatem moralem* vindicet, et malarum actionum culpam jure illi imputari affirmet. Minime autem nodum illum plane solvere Amyraldo contigisse, vix est quod moneamus ¹⁾).

§ 3.

De Lege Mosaïca.

Licet magni faciat Amyraldus legem Mosaïcam, et universe totam V. F. oeconomiam, illam tamen non suffecisse putat ad doctrinam veri nominis Ethicam hominibus tradendam, aut ad vitam secundum illius normam informandam. Continebant quidem decem ambarum Tabularum praecepta quaecunque Natura hominem in integritatis statu viventem docere poterat, ut pietati et virtuti operam daret; poterant sane leges politicae bonum civem informare; atque insuper multae illae criminae, quibus

1) Si Amyraldi sententiam conferimus cum iis, quae nostris diebus hae de re dicuntur et conscribuntur, ille haud uno nomine differre nobis videtur ab iis, qui *Determinismo Ethico* favent; variis in locis illum accedere putamus ad ea, quae scripsit Cl. P. Hofstede de Groot: *Vrijheid van Wil en Vrijheid van Handelen*, in diario *Waarheid in Liefde*, 1858, I, Vid. e. g. ib. p. 26, 27, 53, 56 in nota, 68, cet.

Deus populi Israëlitici cultum externum obstringebat, apertissimae erant, ut animi humani arrogantia diminueretur, sublimisque ei de Deo illo infingeretur opinio, qui tale hominibus jugem imponebat. Veruntamen hoc praesertim in Moysis legislatione imperfectum esse putat Amyraldus, quod talem Israëlitis proposuerit summam felicitatem, qualem *nemo eorum attingere posset*, etiamsi quam ardentissime legibus observandis operam navaret; nec parvi hoc faciendum esse monet, quum in quaque Ethices expositione, hoc primum requiratur, ut talis intellectui depingatur felicitas, quam non attingere tantum, sed etiam facile quodammodo attingere possit ¹⁾.

Et quod ad Legis operationem et efficacitatem attinet, totam hanc Oeconomiam talibus modo rebus constitisse monet Amyraldus, quae corporis sensus extrinsecus tantum moverent, quae vero nullam vim infernam exercere possent, nisi hominum animus extraordinario modo illi rei adaptaretur.

In eorum autem Israëlitarum mentem, qui tali Dei Spi-

1) Minus recte Amyraldi hac de re sententiam reddidisse mihi videtur Stäudlinus, ubi (o. l. *Gesch. d. Chr. Mor.* p. 418) scribit: „Er findet die Moral Moses darin sehr mangelhaft, dasz er den Beobachtern der göttlichen Gebote *nur irdisches* Leben und *zeitliche* Güter verhiesz, dasz er keinen reinen und wahren Begriff von Glückseligkeit festsetzte.“ Nam multis verbis Amyraldus ostendere conatus est, Israëlitis qui satis in illam rem inquirere vellent et ad Moysis, qui et ipse Prophetico munere fungebatur, ceterorumque Prophetarum instituta attenderent, haud dubium esse potuisse, felicitatem, quae illis obtendebatur, non terrestrem sed coelestem, non temporalem sed sempiternam esse. Hoc autem minus probat, felicitatis illius acquisitionem pependisse a conditione, cui nemo mortalium satisfacere posset, *perfecta* nempe obedientia omnibus Legis praeceptis praestanda. Cf. *Mor. Chrest.* Vol. IV. p. 3--50.

ritus auxilio gaudebant, ut Legis jussa quidem bene intelligerent, nec vero perspicerent Evangelica et typica promissa, ubique in V. T. sparsa ¹⁾), quatuor imprimis rebus haec Legis oeconomia vim aliquam exercebat: duarum tabularum nempe, nec non ceteris, quae ab illis pendebant, *legibus*, ex quibus pietatis et sanctitatis appareret imago, felicitatis et vitae *promissis*, poenarum et exsecrationis *minis*, *sacrificiis* denique *piacularibus*. Legis sanctitas non poterat non sui venerationem et amorem in hominum animis excitare, quibus adaugendis quoque inserviebant vitae salutisque promissa: inde ardens illud, quod in nonnullis cernebatur, desiderium, ut omnibus legis jussis quam religiosissime obedirent. Nec minus eidem rei proderant com-

1) De *typis* eff. quae supra diximus pag. 31, et etiam Placcæi Disputatio in ejus *Opp.* T. I, p. 1—158.

Amyraldi tempore ille vigeat inter Theologos mos, ut ubique in V. T. quaererent et inveniri putarent designationes eorum, quae in N. T. aperte revelata sunt. Totum enim fere N. T. in V. T. jam latere putabant, ita tamen ut Veteres fideles typorum profundiorum sensum suspicari quidem, nec vero plane intelligere potuerint; a posteriori autem nobis ille non nisi apertus et perspicuus esse possit. Hanc typice V. T. explicandi methodum Amyraldus quoque in opere nostro sequitur. Ubi e. g. de caerimoniis agit, scribit: „il n'y avoit pas une ceremonie, qui n'eust quelque sens *mysterieux* non pas mesmes jusques à celles, qui paroissent les plus contemptibles. Tous les cloux du Tabernacle, pour ainsi dire, avoyent leur signification, et jusques aux moindres particularités de ses utensiles... Mais en ce temps-là tout cela estoit couvert d'un voile epais, qui en de-roboit la connoissance.” l. I. p. 176 sqq. Accuratissimam typicam explicationem invenimus l. I. pag. 237 sqq., ubi auctor ostendit *agnum Paschale* fuisse *πρότυπον* Christi, manducationem illius agni *πρότυπον* communionis fidelium cum Christo, cct. Cf. etiam p. 201 sqq. ubi typica invenitur explicatio *vasorum*, quae in Tabernaculo servabantur.

minationes illae severae, quae unumquemque a vitis deterere debebant.

Attamen haec Dei Spiritus efficacia, quae legis scientiam et sanctitatis amorem operabatur, humanae naturae corruptionem non tollebat vel penitus emendabat. Quum igitur boni animi motus, ex Legis sanctitatis admiratione orti, tenues et languidi tantum essent, multoque efficaciores ii, qui ex salutis spe poenaeve metu orientur, *servis et mercenariis* haud dissimiles fuere Israëlitaee illi. Ab altera parte quum Lex gravissimas poenas et mortem ipsam minaretur unicuique, qui *omnia* non teneret legis praecepta, quumque conscientia unumquemque multarum transgressionum convinceret, nec ullam Lex daret absolutionis spem aut ullum poenitentiae incitamentum, non poterat non summa hominis animum occupare *desperatio*, nisi aliam doloris sui leniendi sibi inveniret viam. Talem autem placandae conscientiae viam aperire videbantur sacrificia. Neque suorum nimirum peccatorum magnitudinem, neque Dei sanctitatem satis agnoscentes, falsa spe facile ducebantur homines, fore ut sacrificiis oblatis Dei ira expiaretur simulque bonorum illorum operum meritis peccata commissa oblivioni traderentur, ut sic non tantum damnationem vitare, sed etiam vitam promissam obtinere ipsi possent ¹⁾. » Sed quemadmodum talis animi conditio a vera

1) „De tout cela donc se composoit comme une espece de *charme*, dont le sentiment du peché s'engourdissoit, et bien que la force de la conscience le rompist assez souvent, il avoit neantmoins toujours assez de vertu, pour en appaiser un peu les alarmes et les espouuantemens, et pour empêcher, qu'on ne demeurast englouty dans un desespoir inconsolable.»

I. Vol. IV. p. 728.

sanctificatione alienissima erat, sic omnino quoque ei aberat verum *solatium*, quod nascitur ex Dei *misericordiae* cognitione, et ex *peccatorum remissionis* intima persuasione." Hanc autem cognitionem et hanc persuasionem *paucis* tantummodo, qui sub V. F. vivebant, Dei cultoribus, extraordinariam Spiritus sancti efficaciam concessisse docet Amyraldus, nec vero tali unquam gradu, quali fidelibus Christianis concessae sunt sub Gratiae Foedere viventibus.

§ 4.

De Scientia Christiana.

Inter virtutes, quae Christiani hominis Intellectum exornare debent (tales scilicet quae ordinario modo ¹⁾ acquiruntur) primum locum assignat Amyraldus *scientiae*, ejus objectum esse dicit *Dei Verbum*, vel potius *religionis doctrinam*, quae in Literis Sacris continetur.

Licet varios hujus scientiae *gradus* esse libenter concedat, omnes tamen Christiani aliquam religionis doctrinae scientiam sibi comparare posse et debere ostendit. » Assidue modo, » inquit, » animo ei rei intento, nihil est in salutis doctrina tam arduum aut tam profundum, quin *bene compositus animus* concipere aut attingere illud queat" ²⁾. Et hoc studium deinde *dignissimum* esse ostendit, cui operam navemus. Nam omnis universe Veritas digna est, quam investiget sibi que acquirat Intellectus humanus; nec

1) Cf. supra p. 54.

2) I. I. Vol. V. p. 79.

ulla praeterea aut tam evidens est quam Religionis Christianae veritas, aut adeo objecti sui nobilitate insignis. Immo vero *officium* nostrum esse docet, huic scientiae operam navare. Paucorum enim hominum *κλήσις* est ut sint medici, vel juris consulti, vel philosophi, vel mathematici, nostri omnium autem *κλήσις* est, ut simus veri nominis *Christiani*, dumque quoad alias scientias aliorum peritorum virorum auxilium invocare possimus, Jesu Christi doctrinae scientia, in eorum tantum animis vim habere potest, qui *vere illam possideant*. Nec dicat aliquis, discrimen hac in re faciendum esse inter Verbi Divini Ministros et Doctores, et ceteros Christi sectatores; nam quum illis Christianae religionis veritas praesertim contra haereticos et falsos prophetas defendenda sit, ceteri salutis nostrae inimici, peccatum et diabolus, unicuique Christi confessori fortiter impugnandi sunt, quod sine illa scientia recte fieri nequit. » Atque igitur nec *sexus*, nec *conditio* Christianos prohibere debet, quominus quantum possint sibi augere studeant hanc divinae veritatis scientiam, aut eorum hujus rei inscitiam ullo modo excusare potest" 1).

Egregios etiam recenset Amyraldus, qui ex haecce

1) l. l. p. 88 sq. Addit: „Pour estre mort dans le bercean, et n'avoit pas atteint la stature, que la Nature nous a destinée, les enfans n'en seront pas plus mal traittés au jugement;... pour estre demeurés petits et dans la stature des enfans, les nains n'y seront pas mal traittés non plus... Mais que pourrons-nous alleguer à nostre Seigneur, s'il trouve que pour avoir *mesprisé la nourriture spirituelle*, qu'il nous fournit si abondamment, nous soyons demeurés comme infiniment au dessous de la iuste grandeur, qu'il nous demande?"

scientia fidelibus provenient *fructus*. Haec uimirum veram Intellectui afferet lucem ¹⁾; haec fidelium magnopere augebit solatium, necnon ad sanctificationem et ad perseverantiam illos excitare debet. Non tantum denique e majori religionis nostrae excellentiae scientia, ardentior nascetur pietatis et caritatis amor; sed est illa etiam tanquam armamentarium, ex quo tela tibi sumere possis, quibus contra omnes veritatis hostes te defendas.

§ 5.

De Prudentia Christiana.

Simili modo *Prudentiam* ²⁾ quoque commendat Amyraldus, quae omnibus quotquot Christi nomen profitentur, convenit, tanquam unius corporis, Ecclesiae nempe, membris et sociis, qui ad eundem omnes aeternae felicitatis scopum tendunt. Deinceps ostendit ³⁾, ad hunc scopum Prudentiam quoque Christianam tendere, omnesque Christianorum actiones dirigere; *media* illam arripere, quae ad eum ducant, omniaque contra vitare, quae ei obversari

1) „Quelle intelligent qu'on soit quant aux choses, qui appartiennent à cette vie, l'Écriture ne laisse pas de dire, si on est ignorant de la Religion, qu'on est et qu'on demeure en ténèbres.” I. l. p. 90.

2) Ubi antea de Intellectus virtutibus agebat, hanc citaverat et probaverat, quam dedit Aristoteles prudentiae definitionem: „la Prudence est une habitude de l'entendement, par laquelle il est dirigé à agir selon la droite ou saine raison, quand il est question des choses, qui sont ou qui peuvent estre bonnes ou mauvaises à l'homme.” Vid. I. l. vol. III, p. 169.

3) I. l. Vol. V. p. 95 sqq.

possint; nec non omnia illam *praecepta* tenere, quae his de rebus Euangelium dedit.

Revera quidem Christiani quaecunque faciunt, ad Dei gloriam facere debent: attamen discrimen aliquid facere licet inter *pietatem* et *prudentiam*, ita ut illa Dei gloriam solam respiciat, haec praesertim hominis salutem spectet, simul autem non nisi pietate imbuta et repleta esse possit.

Media, quae ad hunc scopum ducunt, sunt fides in Christo reposita et sanctificatio: res contra quae illi *obstant*, originem ducunt a nobis ipsis, a mundo vel a diabolo, quae res quomodo Christianis obviam veniant iisque vitandae sint, copiose Amyraldus ostendit. *Diabolum* enim vel immediate vel mediate homines tentare monet: immediatae illius tentationes et rariores sunt et facilius vitantur; mediate autem ubi homines tentat, *Mundi* vulgo auxilio utitur, qui variis modis nos laqueis suis circumvenire et irretire conatur. *Maximi* autem *ipsi* nobis ipsi inimici sumus; nam mundus nullam in nos vim habet, nisi propterea, quod peccato nos inquinati et corrupti sumus: sive enim bonis sive malis rebus obtentis, appetitum nostrum sensualem tentat mundus, qui satis facile hujus illecebris succumbit ¹⁾. Summopere igitur in eo apparebit

1) „Ces attaques sont d'autant plus dangereuses, que l'appetit sensitif est *au-dedans de nous*, et assés proche de nostre intellect pour le gaster par ses mauvaises suasions. Quand une place est assiegée.... et que l'ennemy du dehors a au-dedans des partisans, qui soir et matin, et de iour et de nuit, ont accès à leur Capitaine, qui l'amuse, et qui l'endorment, qui luy ostent sa vigilance, et qui l'ensorcellent tellement, qu'il consent luy-mesme à la trahison, ce n'est pas merueille si la place est emportée, et si l'ennemy vient à bout de ses desseins. Il faut donc que nostre Entendement, qui est le Gouverneur de la place, soit perpetuellement sur ses

Intellectus nostri prudentia, ut accurate videat ad quasnam res praesertim tendant appetitus, et quinam habitus in illis praevaleant, talesque habitus praesertim singulari cura regat, et prohibeat ne illi intellectui nostro imperent ¹⁾).

Euangelii *praecepta*, quae ad prudentiam adhortantur, primum universe auctor considerat, et dein inquit, quid prudentia Christiana jubeat erga illos, qui *intra*, et erga illos, qui *extra* Ecclesiae societatem vivunt, variosque hujus rei citat casus et exempla. Docet, quomodo Christiani se gerere debeant, ubi *exteri* illos persequuntur, aut ubi talis persecutio illis imminet; necnon quid pacis et quietis tempore iis observandum sit, ubi maxime falsi doctores et prophetae reformidandi sunt. — Aliud prudentiae praeceptum Christi illis verbis contineri dicit: »Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos» (Matth. VII: 6); nam etsi Christi cognitio, ubicunque fieri possit, nobis propoganda sit, bene tamen et privatis hominibus, et iis, qui publico aliquo in Ecclesia munere funguntur, discernendum est, utrum loci et personae, quibus hanc cognitionem afferamus et nuntiemus, tales sint ut nostri conatus Christi causae prodesse possint, an magis etiam verendum sit, ne nostrâ imprudentiâ haec detrimenti quid capiat ²⁾. De Pauli

gardes, et qu'il se deffie de toutes choses, mais particulièrement *de ses propres passions.*" l. l. p. 108 sqq.

1) „Les *plus fines* de nos passions, et celles qui ont le plus d'apparence de *vertu*, comme c'est la trop grande amour de l'honneur et de la gloire, sont de beaucoup les plus *perilleuses* et flattent le plus *doucement.*” l. l. p. 110.

2) „Il faut donc avoir du *zele*, mais il faut avoir de la *prudence* aussi;

dicto quoque hinc agitur: „Ab omni specie mala abstinete vos” (1 Thess. V: 22), ostenditque auctor noster haud parum illud ad prudentiam excitare.

Quod ad illos attinet, qui *intra* Ecclesiae confinia degunt, Paulus Christianis de rerum indifferentium (ἀδιάφορων) usu praeceptum dedit, quod illius tempore valde necessarium erat. Et licet illud nostris diebus non iisdem de rebus valeat et requiratur, universe tamen hoc bene tenendum est, ut, qui scientia et cognitione proveciores sint, his utantur ad ceterorum *aedificationem*, utque omnes nostrae actiones ad *ceterorum* potius quam ad nostrum emolumentum dirigere studeamus.

Universe monet Amyraldus omnium illarum actionum, quas *prudentia* gignit ac dirigit, eas pulcherrimas esse, quae artissime cum *Caritate* conjunctae sunt, uti et illa Caritatis opera ceteris longe praecellunt, in quibus maxima simul elucet *Prudentia*. 1).

§ 6.

De Fide.

Ut homo summi boni sibi promissi particeps fieri pos-

et si le zèle nous porte à semer la doctrine du salut partout, où il y a suiet d'esperer qu'elle fructifiera, la prudence nous doit *empescher* de l'exposer et nous aussi, soit au mespris des gens libertins et profanes, soit à la persecution des violens.” l. l. p. 123.

1) „Le meslange de ces deux Vertus fait un excellent temperament, où la *chaleur* de l'Esprit de nostre Seigneur anime le fidelle à faire tout pour

sit, hoc ante omnia requiritur, ut firma illius intellectui inhacreat *fides, sive persuasio de veritate promissorum et effatorum, quibus illud bonum divinitus annuntiatur*. Licet in V. T. voces: *credere, persuasio, fides* haud crebro occurrant, omnes tamen virtutis et pietatis actus a Patriarchis et piis Dei cultoribus editos, ab hoc *fidei* principio originem duxisse censet Amyraldus. Solius hujusce fidei ratione habita, summum bonum Deus hominibus concedere volebat, eodemque modo sub Legis ac sub Gratiae Foedere *ex sola fide* justificabatur homo ¹⁾. Quamquam autem hac de re nonnulla recte docuerunt Moyses ceterique Prophetae, homines tamen, qui sub Legis Foedere vivere, non satis hoc intellexerunt, et, nisi singulari prorsus modo a Spiritu Sancto illustrarentur, fidem potius intellectus virtutem ceteris similem esse putarunt, quam foederis conditionem, quae summi boni participes illos redderet, quod tamen pro parte inde explicari potest, quod in V. F. saepius quam de ipsa fide, de *fructibus* sermo est, quos in voluntate fert; de fiducia, de remunerationis exspectatione et de spe.

Veterum fidelium fidei objecta (ut in *conspectu generali*

l'avantage d'autrui, et où les *lumières* du mesme Esprit l'esclairent, et le conduisent à regler ses actions pour l'intérêt de son propre salut, selon les lieux, les personnes, les temps, et les autres telles circonstances." l. l. Vol. V. p. 131.

1) „Ça tousiours esté en regard à la Foy, que Dieu a donné la iouissance du Souverain bien à ceux qui l'ont obtenu." l. l. Vol. IV. p. 54. „C'est donc une chose certaine... qu'aussi bien sous la Dispensacion legale que sous celle de l'Évangile, Dieu, en iustificiant l'homme, n'a eu egard sinon à la Foy." ib. p. 64.

iam monuimus) fuisse dicit Amyraldus: Naturae instituta a Moyse et Prophetis confirmata, rerum praeteritarum narrationem, rerum futurarum praedictionem, praesertim promissa tam priva quam universalia, tam absoluta quam conditionata, tam terrestria quam coelestia. Ostendens quantopere his omnibus rebus, et praesertim promissis, veterum fides excitari et nutriri deberet, simul indicat auctor magnum inter fidem eorum, qui sub Lege vivebant, et nostram, qui nunc sub Euangelio vivimus, *discrimen* oriri. Quum enim fidei objecta illa universe Dei et erga nos benignitatem et magnam potentiam in lucem proferant, *nostra* fides praesertim in summae *benignitatis* ac *amoris* Dei admirationem extollitur et abripitur, *illorum* autem fides Dei magis suspiciebat et venerabatur summam *potentiam*, quam Deus ipse extraordinariis et mirabilibus modis sacpissime tunc ostendebat ¹⁾.

Christianorum fidei ²⁾ *objectum*, redemptionis nempe nostrae historia et salutis omnia promissa, et veritate sua eminent, et utilitate, et pulchritudine, et rerum excellentia. Accurate hic ostendit Amyraldus, quomodo nos fidem illam, quae scilicet *Spiritus Sancti donum* est atque a Deo in nobis operatur, in animos nostros *suscipere*, atque semel receptam *retinere* debeamus, negatque nobis, ut nonnulli putant, quiete expectandum esse, donec Deus hanc fidem nobis largiri et veluti infundere velit.

1) „C'est pourquoy la plupart des exemples de foy, qui sont au chapitre unzieme de l'Epistre aux Hebreux, regardent des actions ou des evenemens emerveillables.”

2) Cf. duo Amyraldi *Disputi. de Natura Fidei et de Fidei causa efficiente* insertae *Synt. Theol. Salm.* II. p. 83 sqq.

Postquam enim Intellectus cognovit, quid Euangelium omnibus annuntiet, discernendum illi est, utrum hoc obiectum *dignum* sit, quod amplectatur et cui credat ¹⁾; et ipsa Euangelii doctrina satis *facile* intelligi posset ab omnibus, qui sana ratione praediti sunt, illiusque veritas satis *evidens* esset, ut singulorum hominum menti sese commendaret, nisi *affectuum* humanorum *perversitas* illi rei obstaret, et praejudicatae uniuscujusque opiniones animi luci nebulam veluti obduxissent. Debet igitur quisque Christianus, postquam Euangelium fide sua amplexus est, oculos in se ipsum convertere, et agnoscere se solius Dei gratiae efficacia, in suo animo operata, ad sanam veramque fidem perductum esse.

Et quia fides, quo modo semel exorta est, eodem etiam alitur et sustentatur, semperque nobis inhaerent malorum reliquiae nonnullae affectuum, qui antea fidei ortum prohibere conabantur, hoc ante omnia nobis agendum est, ut fortiter illos impugnare haud desistamus, affectuumque tumultum sedemus, ut intellectus assidue et libere vacare

1) „Et ne fant point icy dire que cet Euangile qu'on nous presche, nous enseigne luy-mesme nostre naturelle *incapacité*; tellement que nous sommes aduertis de nostre impuissance, auant que nous nous mettions à faire cet examen. Car premierement, iamais la bonne et raisonnable predication de l'Euangile ne commence par cet aduertissement, que l'homme naturellement *n'est pas* capable d'y croire... Elle commence par annoncer la remission des pechés en nostre Seigneur Jesus-Christ... Et posé que par une predication prepostere, on nous eust aduertis de nostre impuissance, auant que de nous proposer les doctrines de l'Euangile, qu'il faut embrasser pour nostre salut, cette impuissance là mesme fait que nous ne croyons pas à l'aduertissement qu'on nous en donne, et si nous y croyions, ce seroit un *commencement de foy*." l. l. p. 142 sqq.

possit veritatis Christianae contemplationi ¹⁾, illiusque illustrior magis magisque animo nostro inhaereat imago et persuasio. Quibusnam aliis praeterea *auxiliis* fidem egregie sustentari putet Amyraldus, in *conspectu* nostro supra jam vidimus ²⁾.

Postquam sic fidei ortum et incrementum contemplantur auctor, quosnam illa *fructus* ferat inquit, qui Ethicam Christianam spectent ³⁾, iisque annumerat gaudium, quod persentiscere debet fidelis, qui tam pulcherrimas res non cognoscit tantum, sed iis etiam fidem habet, conscientiae pacem, animi purificationem, quia inde mali habitus a fide expelluntur, firmam tandem rerum, quae sperantur, expectationem, rerumque, quae non perspicuntur, intuitionem.

§ 7.

De Spe et de Fiducia.

Non tantum autem hancce *Spem*, sed etiam *Fiduciam*

1) „C'est en meditant et en *ruminant* les doctrines de la Foy, qu'on en reçoit dans le coeur l'impression si auant qu'elle devient ineffaçable.”
I. I. p. 148.

2) Vid. supra p. 55.

3) „Dans un autre regard, elle a un usage *Theologique*, comme la condition sous laquelle le salut nous est promis en l'Euangile. C'est elle qui nous introduit en la communion de Christ, qui fait que sa mort nous est imputée, qui nous obtient par ce moyen la remission des pechés et la reconciliation avec Dieu, en vertu de laquelle nous auons l'adoption, et l'esprit de consolation, et l'esprit de sanctification, et qui enfin nous met dans le droit de la resurrection du corps et de la vie eternelle.”
I. I. p. 159.

cum *Fide* Christiana artissime conjunctam esse dicit Amyraldus ¹⁾, ita ut saepe in Sacra Scriptura harum trium virtutum nomina promiscue usurpentur, et difficile sit de omnibus satis distincte disserere.

Fiducia autem Summi Numins *virtutes* praesertim spectat, quae nobis persuadere possunt, Deum omnia sua promissa rata facere et explere velle atque posse. Harum quae-
nam maximam vim habeant ad fiduciam confirmandam diserte hic ostendit auctor. Dei *potentiam* praecipuum illius fundamentum esse dicit; cui accedunt illius sapientia, omniscientia, bonitas, justitia et, quae praesertim fiduciam nostram sustentat, Dei *miseriordia*. Haec scilicet hominibus peccatorum remissionem offert sub fidei et poenitentiae conditione; nec hoc tantum, sed ipsa etiam poenitentiam et fidem in animis nostris operari vult, ut revera peccatorum remissionis reddamur participes ²⁾.

Ex hacce autem animi fiducia certissima simul oritur *spes*, fore ut summum, quod Deus nobis offert, revera aliquando consequamur bonum. Atque illam Christianam spem certissimam esse monet Amyraldus, quia non reposita est in conjecturis aut rebus fundamento carentibus, nec in hominum promissis, sed in ipsius *Dei* verbis, qui verax est et sibi constans, infinite sapiens et om-

1) l. l. p. 168 sqq.

2) „Quand nous avons une fois senti cette vertu de l'Esprit de Dieu, qui nous eclaire en la connoissance de Jesus-Christ, et que nous avons conceu, que la communication de cette grace est un effet d'une particuliere misericorde, qu'il a plu à Dieu deployer sur nous, il est absolument impossible que nos ames ne demeurent comblées de contentement, et qu'elles ne se reposent en Dieu avec une confiance inbranlable." l. l. p. 189.

nipotens. Bene tamen hęc distinguendum esse dicit inter promissorum divinatorum *materiem* et *formam*, et quoad materiem, inter ea quae temporalia sunt, et ea quae salutem aeternam spectant, quoad formam inter ea, quae absolute data sunt, atque ea, quae cum conditione quadam conjuncta sunt.

Et quod ad haec summae felicitatis promissa *conditionata* attinet, siquidem in se ipsum Christianus oculos convertit, haec sui ipsius consideratio facile metum quendam ac dubia de suae spei firmitate creare posset, sed reliqua omnia divina promissa illum tunc sustentant, et conscientiae pacem dant. Hoc tantum opus est, ut quisque anxie inquireat, utrum revera fidem habeat; iis enim qui vere credunt, spes minime fallax esse potest ¹⁾. Et ubi haec certissima fovetur spes, illic non potest non animus insigni affici laetitia, pro rei, quae speratur, excellentia et pulchritudine ²⁾.

1) „L'esperance Chrestienne donques est une certaine vertu de nos ames par laquelle elles sont attachées sur le souverain bien, qui nous est reserué là haut, comme sur une chose de la possession de laquelle elles se doiuent parfaitement asseurer.” l. l. p. 206.

2) Cf. Amyraldi *Disp. de certitudine salutis*, in *Synt. Theol. Salm.* Vol IV. p. 138 sqq.; ubi p. 137 dicit Apostolum saepe numero fideles incitare, ut eodem modo, quo ab ipso factum sit, *in certa et indubitata spe salutis gloriantur*. „Quod si non faciunt,” addit „id neque promissionum divinarum infirmitati neque dispensationi causarum salutis neque naturae fidei in se consideratae imputandum est; sed *ipsorum vitio*, qui Dei promissiones non amplectuntur satis arcte, nec causarum salutis consertionem inter se satis accurate animadvertunt, nec pro eo ac par erat, hortationibus parent aut in fide provehuntur. Nam quae est mensura fidei, eadem est mensura consolationis, pacis, laetitiae, gloriationis, quae ex fide nascitur et efflorescit.”

De Solennibus Pietatis Christianae Actibus.

Christiani animo ubi adsunt Fides, Fiducia et Spes, non potest non itidem ei adesse *vera erga Deum Pietas*. Postquam igitur de tribus illis virtutibus Christianis egit Amyraldus, etiam Pietatem tractat, ita tamen, ut non tam ipsam hanc virtutem spectet, quam varios quibus illa se manifestat et *publicos et privatos actus*. Et hacce operis pars, fuse et accurate tractata ¹⁾ haud indigna nobis videtur, cui animum paululum attendamus.

De *publicis* igitur Pietatis Christianae actibus priore loco agens, deinceps ad singulas attendit cultus publici partes: *preces, cantum, Verbi Divini praedicationem, Sacramentorum usum et Verbi lectionem*.

Preces et *cantus* licet non plane eodem redeant, nec simili prorsus modo Deo offerantur, plurima tamen inter se invicem communia habent. Apud utrumque horum actuum e. g. intelligi debet, quid dicatur ²⁾; fervens deinde inter utrumque animum implere debet devotio; quae augeatur, quia unâ cum fratribus nostris illos actus perpetra-

1) l. l. p. 210—370.

2) „Qui dit Amen à une chose prononcée en sa presence en *langage non entendu* ne sçait s'il maudit ou s'il benit, s'il blaspheme ou s'il donne des louanges, ce qui est un merueilleux renuement de la pieté... Comment est-ce que si nous n'entendons rien en la priere que nous faisons, nous pourrions avoir nos esprits attachés seulement un moment sur Dieu, pour luy adresser le bon coeur nos prières et nos actions de grace." l. l. p. 214 sq.

mus, quibuscum arcta communione juncti esse debemus, utrique tandem illorum gestus quidam et motus corporis externi adduntur, qui singularem semper testari debent reverentiam erga Deum ¹⁾.

Verbi Divini praedicationem deinde contemplans, primum de oratore sacro loquitur auctor noster, multaque hinc nobis occurrunt, quae hodie in *Theologia Pastoralis* sive *Practica* tractari solent: quod tamen non miramur, quum haec Amyraldi tempore nondum fere tanquam sejuncta disciplina excoleretur. — *Oratoris sacri* gestus totusque habitus summopere convenire debet cum munere, quod gerit, gravitate. Utrum dicentem caput tegere an detegere, sedere an stare praestet, res sunt, quae a diversis diversorum locorum et temporum moribus pendent, et ad illos dirigendae sunt. Hoc tantum ante oculos habeat Orator Sacer ut illum publicum pietatis actum quam maxima instituat gravitate et modestia, ab omni *ostentatione* sive corporis habitus sive vestium alienus ²⁾. — *Auditorum* pietas ex tribus potissimum rebus apparebit,

1) Hac occasione movetur quaestio, quid faciendum sit Ecclesiae Reformatae socio, cui obviam veniat Presbyter, sacram, quam vocant, *hostiam* ferens. — *Velare conscientiam* monet Amyraldus, quominus *divinos* ille honores ei tribuat, simul autem vituperat Rom.-Catholicos tale quid ab iis, qui aliter quam ipsi hac de re sentiunt, exigere, antequam suae opinionis *veritatem* illis demonstrarunt. Addit tamen ille, qui erga alios praesertim etiam in religionis causa, *pii* et *moderati* semper animi erat: „Il faut donc que les Reformés *evitent*, tant qu'ils pourront, la rencontre de ce qu'on appelle Sacrement." l. 1. p. 227.

2) Preprehenditur hic „*la magnificence terrienne*” multorum suggestorum et concionatorum, quae eo tempore multo magis quam decet, a cultus nostri publici simplicitate recedebat.

ex assiduitate in sacris hisce conventibus aduendis, devotione et attentione, quando iis adsunt, et e corporis externo habitu decoro. Accurate ostenditur, illic tantum Verbum Divinum vim et efficacitatem habere posse, ubi attento et devoto animo audiatur, et ubi mens nullis alienis rebus ab iis, quae dicuntur, abstrahatur : ne levissimas quidem res quae huc referri possint, silentio praetermittit auctor, suorumque aequalium parum pios parumve honestos mores sine ullo personarum discrimine candidis et apertis verbis carpit ¹⁾. — Etiam ubi Dei Verbum a *Lectore* legitur, summa auditores decet reverentia.

Ubi *Baptismi* Sacramentum ministratur, maxima sine dubio pietas ac devotio infantium parentes decet, necnon eos, qui patris ac matris locum occupant; sed ceteri quoque qui adsunt, precibus et votis suis ardentibus pietatem et caritatem testari debent, quum infantes offerantur, ut introducantur in Ecclesiae societatem, atque ita in communionem cum Christo; simulque ubi Baptismum administrari videmus, piis cogitationibus intenti in nosmetipsos oculos nos convertamus oportet.

Sacrae Coenae usui quae adhibenda est pietas, se pro-

1) Sic (l. l. p. 259 sqq.) multos sui temporis auditorum malos vituperat mores, quippe qui inter orationes sacras saepe dormirent, aut ad longe aliam quam ad orationem animum attenderent, aut oscitarent, aut in sellis suis ita sederent, ut magis negligentiam et contumeliam quam attentionem et pietatem ostendere viderentur. Nec laudat eos, qui dum verbum Divinum legitur, de rebus politicis et domesticis garricantes, extra aede ambularent, „et qui penseroyent avoir perdu leur temps, s'ils estoyent entrés avant que le Ministre monte en chaire, ou mesmes qu'il soit prest de commencer sa predication; ceux-là sans doute offensent Dieu et scandalisent leurs freres." l. l. p. 274.

dere debet ét ubi ad hunc actum rite celebrandum sive publice sive privatim nos praeparamus, ét inter actum illum ipsum; tunc, praesertim in nobis requiritur fides et gratus erga Deum animus peccatorumque nostrorum poenitentia et respiscencia. Abunde porro híc docemur, quomodo etiam post sacram illam cerimoniam peractam unusquisque pietatem suam verbis factisque ostendere et manifestare debeat.

Publicos hos pietatis actus summo jure Ecclesia Christiana ab ultimo ad *primum hebdomadis diem* transtulit. Et licet res *extraordinariae*, sive prosperae, sive adversae, extraordinaria nonnunquam pietatis officia requirant, bene tamen cavendum est, ne praeter modum hi actus cumulentur et augeantur, vel jugi instar hominibus imponantur ¹⁾. Nec in his tantum, sed etiam in *domesticis* et *privatis* actibus, cavendum est, ne quid fiat aut jubeatur, quod *libertati Evangelicae* repugnet ²⁾; ab altera enim

1) „Le jour de Dimanche... une predication au matin, et une aux heures de relexée me paroist suffire... Car il ne faut pas surcharger l'esprit, afin de pouvoir au soulagement du corps; et apres les exercices de pieté, on peut fort bien se laisser aller à quelques *honnestes relasches*, qui ne deshonnorent point la profession du Christ, et qui ne souillent point la sainteté de cette iournée... Car c'est bien le but de la Religion Chrestienne de former les hommes à la pieté et à la sainteté, mais c'est *librement*, et non pour nous asservir à une *bigotterie superstitieuse*." 1. 1. p. 318 sqq.

2) Improbat híc *libros* nonnullos de *methodo virtutis exercendae*, praesertim in Anglia confectos. Multa quidem bona illis inesse concedit, sed nimis eos libertati nostrae repugnare putat. „Dans l'exercice de la Pieté et de la Vertu, cette *diligence si consciencieuse de garder les heures et les momens*, et de ne manquer à aucune des observations que ces liures-là

parte nemo *vi* ad religionem incitandus est; ab altera, ubi multi observandi praescribuntur ritus et actus, facile putat aliquis, operibus nonnullis *externis* perpetratis, sese officium suum erga Deum satis superque peregrisse ¹⁾.

Instituendi sunt hi *privati* pietatis actus, ét ubi *tota familia, famulis atque ancillis non exceptis*, congregata est, ét *singulis* in solitudine. Harum exercitationum variae deinceps describuntur partes: *preces, Vi. Di. lectio, Psalmorum cantus*. Et certis temporibus illae instituendae sunt, et quotiescunque animus ad eas nos incitat; variisque modis perficiantur pro varia temporum opportunitate ac hominum indole. Qui e. g. satis disertus est, ut coram familia *ex tempore* preces effundat, nullam omnino sequi debet constitutam precandi formulam; ceteris vero talis formula magnum praebebit usum, nonnullis quidem prorsus necessaria erit ²⁾. Sed quoquo modo illi

preservent, est plustot une marque de *foiblesse*, qu'un effect d'une ame veritablement genereuse, et digne de l'estat, auquel l'*Euangile* nous met." l. 1. p. 327 sqq.

1) Ceterum quid de *honorum operum meritis coram Deo* cogitandum sit, data opera exposuit Amyraldus in tractatu suo supra laudato „*du Merite des Oeuvres*," ubi plurima, quae Rom.-Catholici ad suam doctrinam vindicandam afferent argumenta, egregie refutat, et multis nominibus *Evangelicam Protestantismi doctrinam* defendit.

2) De *precibus Christianis* egregia multa scripsit Amyraldus in *Exercitatione sua in Orationem Dominicam*, Salm. 1662; denuo ed. Ultraj. 1767; priorem editionem mihi procuravit Ven. Saigey; altera, cui addita est *Exercitatio in Symb. Apost.*, in Biblioth. Teleiob. Amstelod. servatur. In illo libro haec scripsit de *usu Orationis Dominicae*: „Est igitur illa formula utendum certe quidem, sed ita ut et aliae adhibeantur. Preces ita instituendae sunt, ut illa pronuntietur pie ac religiose, et aliae ad ejus normam studiose dirigantur. Non sane ut vel eadem verba usurpare, vel

actus perficiantur, summus iis omnibus semper adhibeatur ardor summaque assiduitas, omnisque externus habitus maximam testetur modestiam et gravitatem.

Multae res pietatis, qui nobis inest, sensum *singulari* modo interdum movebunt atque augebunt; nonnunquam enim magis, quam solet, Dei amoris imago et persuasio animis nostris se repraesentat; aut vitae fata nobis occurrunt extraordinaria; aut Dei Spiritus menti nostrae singularem affert lucem; sed universe » quibus Dei amor intimo inhaeret animo, avide illi *omnes occasiones* arripient, ut huc affectus et cogitationes advertant" 1).

Varias res, quae in hac Amyraldi operis parte nobis occurrere, fusius persequi non possumus; et revera multae earum etiam ab aliis scriptoribus eodem modo exponuntur. Nec tamen hanc partem silentio praetercundam esse duximus, quia non minus quam cetera etiam haec egregie testantur, quanta cum cura auctor operi suo incubuerit, quantaque *ἀκριβείᾳ* singula tractaverit.

eandem ordinem sequi necesse habeamus, sed ut, quod ad *materiam* attinet, nec ea omittamus, quae sunt in illa comprehensa, nec quidquam a Deo postulemus, quod a sex illis petitionibus abhorreat. At cum res *extraordinariae* incidunt... nihil opus est eandem formulam adhibere, aut sabinde *repetere*, quod nonnulli superstitiose factitant." p. 257 ed. 1^{ae}.

1) „Il ne paroist rien à nos yeux, il ne passe rien entre nos mains, il ne vient de quelque lieu chose aucune frapper nos sens, qui, si nous sommes *veritablement pieux*, ne doive mettre quelque pensée de devotion dans nos aines." l. l. p. 358.

*De Incitamentis ad Pietatem, praesertim ex Dei
cognitione petitis.*

Quemadmodum pietas Christiana magnopere antecellere debet eorum pietati, qui sub Naturae et Legis Foedere vivebant, sic etiam ad eam multo plura atque illi habebant, nostra Religio nobis dedit *incitamenta*. Non tantum enim eadem nos atque illi Naturae et Providentiae divinae opera ante oculos habemus, non tantum V. T. praestantissimum insuper nobis praebet usum, sed nova in luce nobis Euangelium *ipsum Deum et res divinas* posuit, praesertim quum Summi Numinis *virtutes* multo melius cognoscendas et *S. Trinitatis* mysterium admirandum nobis dederit. Quanam vi harum rerum cognitio ad pietatem nos excitare possit, accurate atque fuse exponit Amyraldus, et, quamquam hinc Ecclesiae doctrinae vinculis multo nimis obstrictus teneatur, multa recte animadvertit, ut hinc quoque Christianae Religionis prae Naturae et Legis institutis praestantia appareat, ita ut Schröckhiius totius nostri operis hanc dignissimam fere, quae legatur, vocaverit partem.

Divinarum, quae Natura duce agnosci poterant, *virtutum*, illae, quae *metaphysicae* dici possunt, non eodem modo ad pietatem homines excitant, atque illae, quae *morales* vocantur: *sapientia* scilicet, *potentia*, *justitia*, *benignitas*; harum autem contemplationi mira quaedam efficacia inest, quae mortales incitat, ut Deum summo amore summaque reverentia colant. Justitiae quidem divinae contemplatio homi-

nes peccantes timore quodam afficere debet: sed simulatque cum illa jungitur Dei benignitatis imago, timor ille et tristitia amori cedet et gaudio et solatio; nec parum harum virtutum conjunctio peccati fugam, virtutis studium atque sic Dei pium cultum incitat et commendat.

Quatuor illarum virtutum divinarum cognitio sub V. T. quam plurimis rebus augebatur; at ex totius illius Legis Foederis institutione nobis illae multo illustrius jam patent, quam ab ipsis veteribus fidelibus observari poterant. Sic e. g. Dei sapientia nobis multo splendidiori quam illis luce apparet, quum attendamus Gratiae Foederis promissa et typos in V. T. Deum jam sparsisse, Eumque illa per temporum decursum magis magisque perspicua et aperta reddidisse. Sic praesertim etiam potentiae suae multo majora sub Legis quam sub Naturae dispensatione testimonia Deus edidit, quae nos quoque ad summam divinae majestatis admirationem et adorationem incitare debent. Et quod ad Dei justitiam et benignitatem attinet, illarum ubique in V. T. praestantissima nobis occurrunt signa et testimonia, praesertim ubi *Legis promulgationem*, et divinae *Providentiae* sapientissimam gubernationem in *Populo Israëlítico educando, instituendo, informando* cã, quã par est, reverentiã contemplamur ¹⁾.

Quemadmodum harum Dei virtutum cognitio sub Veteri Foedere magis magisque increvit, et homines ad pietatem incitavit, sic perfecte tandem illae ad hominum notitiam

1) "Toute la conduite de la Providence de Dieu envers ce peuple est une espece de contexture de deux sortes d'evenemens, qui se succedent les uns aux autres, à sçavoir de *chatimens* à cause de ses *pechés*, et de *deliverances* enuoyées à l'occasion de sa *repentance*." l. l. p. 423.

pervenerunt, postquam Christus in terram venit, Gratiaeque Focdus in nova prorsus illas luce collocavit. Christianis enim Dei *sapientia* praecipue ex eo patet, quod praestantissimum illud invenerit *peccatum*, quo justitiam suam et misericordiam in concordiam mutuamque pacem redegerit; ex omnium porro Religionis Christianae *dogmatum* mirifico *ordine* et *nexu* ¹⁾; nec minus ex *Ecclēsia Christiana* e variis membris et partibus admodum diversis composita, et optime tamen instituta et gubernata. Dei *potentiam* sub Euangelii dispensatione disertissime docent Christi *e mortuis resurrectio*, *fides in fidelium animis excitata* ²⁾, totiusque *Univerſi iustauratio* et regeneratio Religionis Christianae vi et Spiritus Sancti efficacia. Dei *justitiam* ex eo quam maxime nobis apparet, quod, ut generis humani peccata condonare posset, ipsum Christum horrendae neci tradidit ³⁾. Quo magis autem Christi

1) De hoc doctrinarum Evangelicarum nexu (qui multo nimis, ex nostra sententia, auctorem nostrum in admirationem rapit), inter alia haec habet: „J'oseray bien dire cela, qu'il n'y ent jamais rien au monde de si parfaitement bien entendu, soit en matiere de bastiment, soit en systemes de sciences et de disciplines, soit en machines artificielles, ou en distribution de parterres et de compartimens, qui peust tant soit peu entrer en comparaison de la sagesse, qui paroist en la composition des parties de la Religion Chrestienne.” l. l. p. 431.

2) „L'Apostre represente quelques fois cette action de Dieu (la production de la Foy dans les ames des fidelles) par le mot de *creation*, et de *resurrection des morts*, et par de semblables façons de parler, qui montrent bien qu'il a creu qu'elle requeroit toute l'estendue de la *puissance divine*.” l. l. p. 437.

3) „Quelque opinion qu'on ait ene autrefois (de la Justice de Dieu), et quelque impression que ses effets en aient donnée, si est-ce que les hommes n'auoyent jamais conceu qu'elle fust inexorable jusques-là, que de

illa mors perfectam Dei justitiam et sanctitatem nobis spectandam praebet, eo etiam magis mirifica prorsus ex ea elucescit Dei *misericordia*, quae ne unicum quidem illum Filium neci tradere recusavit, ut homines sibi reconciliaret, et quae gratiâ divinâ et Spiritu Sancto mentes nostras illustrare vult, ut cum Filio illo communionem ineamus, ad aeternam animi nostri salutem.

Postquam sic ostendit, quatuor illas Dei virtutes morales, sub Euangelii dispensatione multo melius atque perfectius quam antea hominibus innotuisse, multoque igitur majorem illas nunc vim habere, ut ad pietatem nos excitent, inquit, quamnam in eundem finem efficaciam habeant ea, quae de *Trinitate* Christianis revelata sunt.

Atque hujus quidem dogmatis notitiâ duobus modis operatur: priore enim loco illud Christianos docet, quanto opere Numen Supremum omnem Intellectus nostri *captum superet*, atque igitur dignum sit, quod humili atque pio animo a nobis veneretur et colatur; et altero loco ex eo patet, praeter quatuor illas virtutes tribus personis communes, *singulas* quoque *Trinitatis* personas virtutibus nonnullis praeditas esse, quae summopere pietatem nostram movere debeant.

Prima Trinitatis persona jam sub Naturae et Legis Oeconomia sese manifestavit, sub Euangelii tamen Oeconomia multo melius cognoscitur. Quum e. g. sub illis permittat Deus concubinatum, divortium, polygamiam, nec unquam haec sibi displicere discrete declaret, sub Euan-

ne se laisser point fleschir sinon par la mort d'un Dieu, et encore d'un Fils de Dieu, et enfin d'un Fils unique." l. 1. p. 446.

geli dispensatione sanctitas Illius nobis multo luculentius appareat, ita ut sponte intelligere debeamus tales res pugnare cum Dei voluntate, quippe sanctissimi, purissimi, omni mali contagione alienissimi. Atque haec quam maximam Dei admirationem et infinito ardentiorum pietatem nobis addere debent.

Praesertim autem *Dei Filii et personae et muneris* notitiam Euangelium nobis concessit. Quod ad priorem attingit, duarum naturarum in Christo unitas est admirationis objectum, cujus omnis excellentia nunquam satis a mortalibus intelligi potest. Ea autem unio haud parvos illis fructus praebet atque usum; nam quum humana natura cum divina in Christo artissime conjuncta sit, homines sese ab Illo propius ad Deum adductos vident ac sentiunt; humanaeque simul naturae conjunctio illa honorem addit ac dignitatem; et prorsus insuper necessaria illa fuit, ut natura nostra peccato liberaretur. Itidem harum utriusque naturarum *singulae* proprietates et virtutes in Christo contemplandae nobis offerantur. Quas enim Deo inesse vidimus virtutes, eadem et in Ejus Filio discernuntur, ita tamen ut humanae Christi naturae vi *humani intellectus captui magis adaptatae* illae videantur, faciliusque nos ad illarum *normam* nosmetipsos *informare* possimus ¹⁾.

Egregie hinc ostenditur, quanta in Christo quoque elu-

1) „Par ce donc, qu'encore que les propriétés de la Divinité soient toutes en la seconde telles qu'elles sont dans la première personne de la Trinité, si est-ce que parcequ'elles sont en quelque façon *adoucies* par l'union de l'humanité, elles en sont et plus *perceptibles* à nos entendemens, et plus *instables* à nos pensées," I. I. p. 468.

ceat sapientia, potentia, justitia, benignitas, et quomodo reliquae omnes virtutes, quae homines exornare debent, a Servatore nostro perfectissime excultae fuerint, ita ut tota illius vita praestantissimam sanctitatis imaginem ob oculos nobis ponat, ad cujus *exemplum* nostram vitam instituamus oporteat ¹⁾.

Et quod ad *munus*, quo Christus fungitur, pertinet, tribus potissimum nominibus illud comprehendere potest: est nempe Ille summus *Propheta*, summus *Sacerdos*, summus *Rex*. Atque haec tria munera jam per se spectata omnium hominum reverentiam exigunt, maximamque Christo dignitatem conciliare debent; sed praesertim, ubi discernitur, quot et quanti hominibus ex illis muneribus fructus redundent, haud parva ea incitamenta nobis erunt, ut Servatorem illum nostrum ardenti amore prosequamur, Deum Patrem omni animo diligamus et colamus, pietati et virtuti nunquam non operam navemus.

Tertiae Trinitatis personae, *Spiritus Sancti* nempe, operationem et efficacitatem duobus praesertim modis in animis nostris experiri solemus: nimirum et ducit nos Spiritus ille ad communionem cum Christo, et operatur in nobis postquam hanc communionem inivimus, multaque nobis largitur *dona* aut extraordinaria aut ordinaria. Hic Spiritus animos nostros luce sua collustrat, et multo ampliore nobis concedit Dei, Patris nostri, cognitionem,

1) „Toute la conduite de la vie de nostre Seigneur, et toute sa conversation, mettent une merueilleuse image de toutes sortes de perfections devant les yeux des Chrestiens, et si *accommodée* à leur portée pour *s'y conformer*, que l'idée de la sainteté de la Divinité, bien qu'elle esblouisse davantage par son éclat, n'est pas pourtant plus emouante.” I. l. p. 474.

quam quae sub Naturae et Legis Foedere piis Numinis cultoribus data fuerit; nec parum igitur ille augere debet pietatis nostrae ardorem, et fervorem quo colimus Deum illum, qui tanta nobis largitur beneficia.

Quemadmodum igitur Deus unus est, in quo autem tres distingui possunt personae, sic etiam Christianorum pietas revera *unum* tantum habet objectum, quod tamen *tribus* modis contemplandum et colendum se praebet.

Hisce tandem addit Amyraldus ¹⁾, licet *preces* nostrae et *gratiarum actiones* universe Deo Patri offerendae sint *per* Dominum nostrum Jesum Christum, Intercessorem et Mediatorem nostrum, nonnunquam tamen etiam *licere* et *oportere* quidem, ut Secundam quoque et Tertiam Trinitatis personam precibus nostris adaeamus. Quamobrem *cantui* Christiano tam publico quam privato *Psalmos Davidicos* commendat, quippe qui non magnum inter illas personas discrimen facere soleant, et nonnullarum praeterea Ecclesiarum exemplum laudat, quae praeter *Psalmos* etiam *aliis* quibusdam *hymnis* utuntur, in quibus singularum Trinitatis personarum virtutes et laudes celebrantur.

§ 10.

*De Principum ac Magistratum auctoritate, et
civium obedientia.*

Quoniam antea paucis exposuimus, quid Amyraldus

1) l. l. p. 498.

in tractatu suo *de Regum principatu* ¹⁾ de necessitudine docuerit, quae Principes inter et cives intercedit, agite, jam breviter videamus, quid de eadem re in hoc nostro opere dicat.

Naturam jam docere monet ²⁾, quatenam sint magistratum et civium mutua officia: »Quum tot sint regiminis formae, uniuscujusque probi hominis bonique civis est formam in civitate sua vigentem tueri illiusque causam quam maxime vindicare; nec si qua reipublicae mutatione et instauratione opus est, novas res quis moliat sine legitima vocatione.” Et si forte acciderit, civem aliquem injuria quadam a magistratibus affectum esse, nec pacificâ viâ jus suum sibi conciliare posse, toleret potius ille injuriam eam, quam quod rempublicam ideo conturbet ³⁾.

Atque haec Naturae instituta omnimodo confirmavit Religio Christiana, intimisque Christianorum animis inhaeret illa opinio, a Deo ipso magistratus constitutos esse ⁴⁾. Quam rem abunde quoque docent Pauli ceterorumque Apostolorum et exemplum et verba, (Rom. XIII: 1, 2;

1) Vid supra pag. 31.

2) l. l. Vol. II. p. 347 sqq.

3) Et *liberis* porro, et *civibus*, et *servis* Naturam diserte praecipere monet Amyraldus, ut eorum reverentia erga superiores ne *actionibus* tantum constet, sed ex bona *animi* oriatur *dispositione*, quae a Deo originem ducat; nec vero unquam eo usque eorum obedientia procedat, ut faciant res *injustas* et *sordidas*, quae Naturae legi morali, Deique institutis repugnent.

4) „La puissance des Magistrats estant *honneste et legitime*, la Religion ne luy fait point changer de nature, et elle ne devient pas *illegitime* pour tomber entre les mains d'un homme, qui fait profession du nom de Christ.” l. l. Vol. V. p. 557.

Tit. III: 1; 1 Pet. II: 13, 14), secundum quorum institutionem nullo modo dubium esse potest, quin e Christianismi quoque indole, capitis etiam damnare ac mortis supplicium infligere, summis magistratibus licitum sit.

Quamquam igitur universe Magistratui obediendum nobis sit, bene tamen distinguendum est inter eas res quae *Religionem*, et eas quae *vitam et conditionem terrestrem* spectant. Quod ad *priores* enim attinet, praestare docuere Apostoli *Deo quam hominibus obedire* (Act. IV: 19; V: 29) ¹⁾; nec tantum quoad eas res quae ab ipsa Religione nostra nos docentur, sed quoad eas etiam quae ex *Naturae* institutis pendent. Nec vero hoc ita intelligi vult Amyraldus, quasi tale quid nobis imperanti regi aut magistratui *vi* resistendum, et ad arma refugendum vel seditio cienda sit; sed ita, ut quae imperantur nobis, *non faciamus*, et omnia tormenta perpeti malimus, Apostolorum et primorum Christianorum hac in re exemplum secuti. Sin vero Magistratus nobis imperent, aut nos cogere velint, ut tales res faciamus, quae nec Dei voluntati repugnant, nec saluti nostrae aeternae nocent, nullum prorsus dubium esse potest, quin Evangelium Magistratui obedire nos jubeat. — Quando autem novas res molitur ipse Rex, et publici muneris, quo hucusque

1) „La raison de cela est evidente. Comme lorsque le Magistrat *subalterne* commande une chose, et le *souverain* une contraire, l'autorité du magistrat subalterne ne doit point estre considerée parcequ'il n'en a qu'autant qu'il en tient du Souverain, lorsque la volonté du Prince et celle de Dieu se trouvent contradictoires, la puissance du Prince doit estre estimée comme *nulle*, parcequ'il n'en a, sinon qu'autant qu'il en a *reçu de Dieu.*” l. l. p. 562.

functus erat, *formam* atque *indolem* inmutare conatur, tunc sane Euangelium non impedit quominus cives politicis suis juribus utantur, talique regi aut principi *resistant*. Dum autem reipublicae *fundamenta* intacta manent, quo magis seditione abstinenceatur, eo Euangelii praecepta magis tuebuntur et servata manebunt.

Quemadmodum ita civium officia bene descripsit Amyraldus, sic recte quoque Principes et Magistratus admonet, ut quicquid agant, nil nisi civium suorum salutem spectent, multoque *diligere* quam *timeri* malint ¹⁾.

§ 11.

De mendacioso officioso.

Mentione omnino digna nobis videntur, quae de *mendaciosis officiosis*, quae vocantur, Amyraldus dixit, quia ille universe optime disputasse nobis videtur de re illa, de qua omnium temporum variorum Theologorum in varias partes abiit sententia et iudicium.

Jam ex Naturae institutis, hac quoque in re Christiana Religione ab omni parte confirmatis, disertissime patere monet *Veritatem* unicuique homini quam maxime cordi

1) „Puisqu'ils sont l'image de Dieu, ils doivent proposer en leurs actions l'imitation de ce merveilleux modèle... Toute la conduite de la Providence de Dieu en l'administration de son Empire tend au bien de l'univers; en beaucoup plus forts termes celle des Roys doit-elle tendre au bien de leurs peuples." l. l. p. 572.

esse debere ¹⁾; illa enim Intellectui nostro lucem affert, atque ipsius Dei veluti imago est; demtâ illâ nulla amplius fides nullaque felicitas hac in terra inveniri posset. Licet igitur universe veritas nulli non servanda sit, ut justitiae et caritatis officia rite perfici possint, nonnunquam in tali versamur casu, ut non nisi a veritate paululum discedendo, proximi nostri vitam aut bona tueri, magnamve aliquam cladem ab eo arcere possimus ²⁾. In talibus autem casibus *mendacium*, quod vocant, *officiosum* dicere, et a via ceteroquin semper sequenda discedere *licet*; tali enim mendacio nullum transgredimur Legis Divinae praeceptum, nec quod pietatem erga Deum, nec quod caritatem erga proximos spectat, immo haec tale quid a nobis exigit. Et quemadmodum etiam in aliis rebus summum jus summa saepe est injuria ³⁾, sic in his quoque veritatis

1) „Celuy à qui il est indifferent de mentir ou de dire vray, ne merite pas le nom d'homme.” I. I. Vol. III. p. 272. „La Nature a tellement imprimé ce sentiment (de la dignité de la verité) en nos esprits, qu'à peine les ames les plus viles et les plus basses mentent-elles, si elles ne s'y sentent obligées par quelque notable consideration d'*interest* et d'*utilité*; et quant à celles qui sont extraordinairement eslevées et genereuses, à peine peuvent elles estre induites à mentir, par quelque consideration d'*interest* et d'*utilité* que ce puisse estre.” I. I. p. 252.

2) Affert hic exempla Hypermaestrae, Danaï filiae, quae mendacio sponsi sui Lyncei vitam servavit, et quae idcirco ab Horatio (*Od.* III, 11, 35) vocatur, „splendide mendax, et in omne virgo nobilis aevum”; Rahab (Jos. II, 4 sqq.) et obstetricum Hebraearum (*Exod.* I: 19).

3) Praeter alia multa exempla etiam hoc allegat: „À peine y a-t-il aucune loy plus sacrée que celle qui nous oblige à la restitution d'un déposit, quand il nous est redemandé; et neantmoins, quand un homme vous a donné en déposit une espée à l'heure qu'il estoit en son bon sens, vous ne la luy denés pas rendre lorsqu'il est devenu furieux, ou que vous voyés

amor proximi nostri commodo et saluti cedere debet, siquidem nulla prorsus alia via, quâ illi succurramus, patet. „At,” inquires fortasse, » non licet *malum* perpetrare, ut *bonum* inde oriatur; *Deique Providentiae* confidendum est, quae proximo tuo opitulandi quandam inveniet viam, etiamsi tu mendacium illud officiosum non dicas!” Sed jure ad primum illud respondet Amyraldus de hac ipsa causa agi, utrum mendacium illud tali de re dictum revera *malum* vocari mereatur; et, quod ad alterum attinet, libenter concedit Dei Providentiae nunquam non fidem habendam esse, ab altera autem parte Dei voluntatem et potentiam nunquam temere *tentare* licere monet ¹⁾).

§ 12.

De suicidio et de monomachia.

Ubi de proximorum vita servanda agit, quaestionem etiam movet Amyraldus, utrum homini liceat *suam sibi vitam adimere*. Vehementer hoc negat: »vita enim

manifestement qu'il est pour en abuser, en faisant quelque mauvais coup, pendant le transport de sa colere." l. l. p. 276.

1) „On se *defie* de la Providence de Dieu, quand on ne s'assure pas assés qu'il executera ce qu'il a promis; on la *tente*, quand on s'attend qu'il fera quelque chose extraordinairement et miraculeusement s'il n'en a point donné de promesse.... Il se trouve bien des endroits où les fautes des fidelles sont racontées sans blâme dans la Parole de Dieu, mais il ne s'en trouve pas ailleurs qu'en l'histoire de ces mensonges officieux, où le Saint Esprit les ait louées." l. l. p. 285.

nostra a Deo nobis data est, qui totius Universi imperium tenet, quique nos humanae societatis membra fecit, cujus saluti prodesse debemus, quamdiu summo cunctorum Magistro ac Gubernatori illud placet" 1). Si nobis persuasum est, Dei Providentiam cuncta dirigere, et ab Illius manu adversa et prospera nobis impertiri, nunquam cogitare poterimus, Illius voluntati nos resistere licere, Illique adimere occasionem, ut nostram virtutem nulla non re exerceat gloriamque suam manifestet.

Verbo hęc etiam referre nobis lubet, quid Amyraldus docuerit de prava consuetudine, quę praesertim inter viros nobiliores eo tempore vigebat, ut nempe minimis etiam rixis *monomachia vel duello* finis imponatur 2). Multis verbis hancce rem reprehendit. Primum quidem animadvertit, ita omnium injuriarum easdem prorsus infligi poenas: » quænam », exclamat » hęc cernitur atque servatur justitia? quinam illos docuere, tam absurde et inique variarum rerum et factorum dijudicare pretium et valorem? Et etiamsi magna et atrox sit injuria, quo jure proximorum vitæ insidiantur, et vi illata ipsi jura sua

1) Egregio et aptissimo exemplo hoc illustrat: „Si le serment que les matelots prestent au *Pilote*, et les soldats au *Capitaine*, les oblige à garder la station où il les place, nous prestons en naissant un *serment à ce grand Dieu*, qui nous oblige encore plus inviolablement à ne desemparer le lieu qu'il nous a donné dans l'Univers, jusqu' à ce que le sifflet de son commandement expresse, ou la voix de sa Providence nous en tire." l. l. Vol. I. p. 407.

2) „Je voy qu'il s'est introduit depuis environ cent ans la coutume de *se dueller*... et quelques duels signalent à cette heure autant un gentilhomme, que s'il avoit donné le premier dans un escadron ou défendu tout seul un pont." l. l. Vol. II. p. 696.

vindicant?" — Christiana religio eo nos animo esse jubet, ut pro amicis nostris vitam deponere velimus, et de inimicis nostris bene mereamur; hisce pugnis contra amici nonnunquam ab amicis occiduntur. Nec *fortitudinis* fama et laus summum est, quod homo acquirere sibi possit bonum; et etiamsi esset, saepe datur opportunitas ut hanc alia prorsus via ac ratione sectemur et acquiramus. Quumque *invidiae calumniaeque* insidiis ob hujus mundi perversitatem nunquam non obnoxii simus, summa *fortitudo* et *virtus* in eo apparebit, quod illas omnes firmiter et constanter *toleremus* ¹⁾.

§ 13.

De Christianorum officiis erga variarum religionum asseclas.

Restat, ut paucis jam videamus, quid notatu dignum dixerit Amyraldus de Christiani hominis officiis erga eos, qui in religionis negotio ab ipso differant. Nec tamen hîc denuo exponemus, quae de differentia inter Protestantés et Romano-Catholicos, vel inter Reformatos et Lutheranos dixit, quia de his supra jam locuti sumus: pauca hîc mentione digna afferemus dicta de agendi ratione erga *Ethnicos*, erga *Judaeos* et erga *haereticos*.

1) „Contre le deshonneur la Vertu seule doit combattre, et le courage vraiment genereux et philosophique, qui n'est animé que de ce qui est honneste et beau." l. l. p. 706.

Quod ad *Ethnicos* pertinet, plerique Christiani nulla alia ratione nisi precibus et donis charitatem erga illos possunt testari, quae res sane ab omnibus Christianis requiritur: nonnulli autem in mediis illis vivunt aut aliquantum degunt, et multo plura facere possunt, ut ad Christum illos ducant, eorumque animorum salutem curent. De modo autem, quo multi hac in re versati sunt, jure vehementer queritur Amyraldus. Rectam quidem Ethnicorum convertendorum viam incedit, qui Dei ipsius hac in re exemplum sequitur; quemadmodum enim Ille beneficiis suis illos ad se trahere conatur, sic et Christiani nunquam non probe et benigne illos tractare debent, ut sic Dei nostri et religionis nostrae optimam sibi informare possint opinionem. Et ubi Evangelium illis annunciatur, non incipiendum est a dogmatibus, quae Religioni Christianae peculiariter propria sunt, sed, secundum Pauli et Apostolorum exemplum, initium faciendum est ab iis rebus quae Natura jam docet, ut sic pedetentim adducantur ad sublimium Evangelii doctrinarum scientiam ¹⁾.

Judaei singulari prorsus modo nobis manifestant et Dei judiciorum severitatem, et Providentiae Divinae mirandam curam. Ab altera parte Dei hominumque ira et odio digni esse videntur, quippe qui Dei Filium cruci affixerint et

1) „La plus-part de ceux qui ont passé dans les Indes pour y evangeliser, ont debuté par la doctrine de la Trinité, et par celle de l'incarnation de nostre Seigneur, et, ce dont on ne sauroit assés s'estonner, par la transsubstantiation mesme. Comme si de propos deliberé ils auoyent pris à tasche, non seulement de *rebouter* les esprits des infideles, en leur proposant d'abord des dogmes, qui sont au dessus de la capacité de la Raison, mais encore de les effaroucher et de les scandaliser tout à fait par des choses, qui la renuersent." I. I. Vol V. p. 506.

etiā nunc Christo fidem habere pertinaciter nolint. Ab altera autem parte Christianorum misericordiam et caritatem haud uno nomine sibi vindicare debent; sunt enim illi veluti Ecclesiae radix, et natio, quae sola unius Dei cognitionem servavit, ex qua ipse Christus quoque ortus est, quae aliquando secundum Dei promissa ad Ecclesiae Christianae communionem ducitur. Variis his rebus perpensis prudentiam et caritatem Christianam jubere dicit Amyraldus, ut ex iis civitatibus ex quibus antea expulsi sunt, aut in quibus nunquam habitarunt, arceantur Judaei ¹⁾; ex iis autem regionibus, in quibus jam degunt, ne expellantur, nisi quando ex eorum praesentia respublica damnum caperet. Alicubi enim certe habitare debent, et eorum conversio majori jure exspectari potest, ubi inter Christianos, quam ubi inter Turcas aut Ethnicos vivunt. Illorum autem conversio ut jure speretur, e Christianorum cum cultu tum vita omnia delenda et rejicienda sunt, quae Judaeos offendere possunt ²⁾; ardentesque insuper coram Deo preces effundendae sunt, ut Ipse misericordia sua ad Christum illos trahat.

De *haereticis* quoque Amyraldum egisse vidimus. Dis-

1) „Parcequ'ils s'en peuvent bien passer, et que leur presence y pourroit estre prejudiciable. Car ils font ce qu'ils peuvent pour suborner les Chrestiens, et quand ils en ont perverti quelcun, outre la perte qu'il y fait de son salut, c'est aux autres une grande matiere de tristesse et de scandale." l. l. p. 515.

2) „Quelle apparence de les gagner au vray Dieu, tandis qu'ils verront dans les temples des Chrestiens tant d'attraits à l'idolatrie et à la superstition?... Et il est malaisé qu'ils se persuadent qu'une religion soit bonne, si elle ne rend pas ses devoirs vrayement pieux et gens de bien, et si ceux qui l'enseignent la deshonnorent." l. l. p. 516.

crimen faciendum esse monct inter eos, qui primi novas doctrinas venditant et hominibus commendare student, et eos, qui illorum ratiocinationibus a recta via detrahuntur. Licet priorum multi superbia et vana quadam gloriae cupidine ducantur, et inter ceteros haud pauci sua culpa aberrrent, quippe qui Sacras Literas attento animo legentes facile veritatem perspicerent, cunctos tamen illos caritas Christiana amplecti debet, nec quidquam nobis omitendum est, ut in viam veritatis illos reducere conemur. Ceteroquin prorsus ab Amyraldi mente abhorre nonnullorum opinionem, *haereticos etiam capitis damnandos esse*, nemo sane mirabitur.

CAPUT ALTERUM.

AMYRALDI OPERIS CUM ALIORUM OPERIBUS ETHICIS
BREVIS COMPARATIO, ET MERITORUM EXPOSITIO.

De Ethico hoc Amyraldi opere, cujus conspectum et expositionem dedimus, valde iniquum sine dubio esset iudicium, si illius comparatio institueretur cum iis, quae nostris diebus in hac Theologiae disciplina viri docti praestiterunt. Etsi enim minime reticere nobis liceat, quid in veterum Theologorum operibus, secundum hodiernae scientiae normam dijudicatis, vituperandum esse videatur; immo ex tali tantummodo comparatione felix atque laetus scientiae per temporum decursum progressus perspicui ac dijudicari possit: aequi tamen iudicis erit, unumquemque scriptorem, et universe unumquemque hominem, in temporis, quo vixit, luce collocare et contemplari, ut inter ipsum et praedecessores ac aequales comparatione instituta, perspicue appareat, quibusnam nominibus prae iis vel laude vel vituperatione ille dignus sit.

Ut igitur Amyraldi nostri erga Ethicam Christianam merita rite dijudicare possimus, videndum nobis erit, quo-

modo ante illum in Christiana Ecclesia Ethica tractata sit. Omnium quidem, qui magis minusve huic Theologiae parti operam navarunt, hic nomina et merita recensere nihil attinet; universe ad methodum praesertim attendentes, quam variis temporibus sequi solebant scriptores Ethici, in eorum tantummodo singula opera inquiremus, qui omnium consensu ceteris praeminuerunt, vel peculiari quodam momento a ceteris differunt, vel disertam aliquam cum Amyraldo comparisonem exigunt.

Quem ita nobis proponimus, ut facilius attingamus scopum, *primum* breviter Ethices Christianae delineabimus historiam ad Sacrorum usque Instaurationem; *tunc* historiam illam paucis enarrabimus ab ea inde Instauratione ad Amyraldi usque tempora, et *primum* quidem in Ecclesia Lutherana, *deinde* in Ecclesia Reformata; ut *tandem* variis, quae ita nobis occurrunt, methodis ac operibus Ethicis cum Amyraldi opere collatis, de hujus meritis aequam dare conemur *epicrisin*. —

§ 1.

*Historiae Ethices Christianae ante Sacrorum
Instaurationem brevia lineamenta.*

Quemadmodum ipse Servator noster nec Dogmaticae nec Ethicae Theologiae systema condere in mente habuit, sic apud Apostolos quoque et qui proxime illos secuti sunt, nullum ad scientiae regulas informatum Ethices Christianae systema invenimus. Uti sapientissimus Magister, sic etiam discipuli pro temporum occasione praecepta permulta

tantummodo dederunt, ad quorum normam Christiani, ab ipse Christi Spiritu ducti, vitam suam instituere debent. — Quum autem in Apostolorum et Patrum Apostolicorum scriptis quae invenimus praecepta moralia ad Christi institutionem (si pauca excipis) omnimodo conformatae sint, et cum Euangelii indole plane conveniant, qui illos secuti sunt Ecclesiae Patres ab illa Euangelii simplicitate et puritate magis magisque aberrarunt.

Etsi enim apud illos, qui ante Constantinum Magnum vixerunt, praesertim apud Tertullianum, Clementem Alexandrinum et Cyprianum egregia permulta occurrunt, attamen apud illos jam invenimus earum opinionum et doctrinarum vestigia nonnulla, quae sequentium Patrum ad vitam rite instituendam ceteroquin aptissima saepe opera, haud parum inquinare solent ¹⁾. Ab altera enim parte quot et quam pulchra legimus praecepta, Christi Spiritui haudquaquam repugnantia, quam egregiam videmus doctrinae ad vitam applicationem in trium magnorum illorum Cappadocum scriptis, in Chrysostomi praestantissimis homiliis, in Ecclesiae Occidentalis Patrum, Ambrosii praesertim et Hieronymi et Augustini multifariis operibus! Sed ab altera parte apud eos-

1) De Veterum Patrum erga Ethicam Christianam meritis varie iudicatum esse, notum est. Permulta illorum vitia primus fere in lucem posuit J. Barbeyrac; contra hujus nimis severas incriminationes illos defenderunt Ceillier, in „*Apologie de la Morale des Peres*, 1718,” et Buddaeus, *Isagoge*, I. p. 558 sqq. Contra utriusque opinionem suam dein copiosius exposuit Barbeyrac, in suo: *Traité de la Morale des Peres de l'Eglise*, 1728. Recentiore tempore Reinhardus satis vehementer in illos invehitur (*Christel. Zedenleer*, I. p. 40. sqq.); eorum merita contra defendit Stäudlinus.

dem quantis jam nebulis Evangelicam lucem obscuratam; quot hominum instituta et commenta Christi effatis et institutionibus admixta, quin etiam iis repugnantia! Apud omnes illos scilicet viget rigorismus quidam, omnesque vitae asceticae nimium tribuunt pretium.

Inde vitae monachicae et solitariae amorem et defensionem, inde coelibatui sanctitatem quandam tributam, repectitarum nuptiarum et jurisjurandi condemnationem, jejunii et corporis castigationum aestumationem! Orthodoxiam porro plerumque moralibus virtutibus accensent et heterodoxia maximum saepe ab iis habetur vitium. Praesertim autem bonis moribus valde nocere debebat, quae fiebat *distinctio inter virtutem inferiorem atque perfectiorem*. Quae cum ita sint, etsi libenter agnoscimus apud omnes illos veteris Ecclesiae Patres permulta inveniri praestantia praecepta moralia, etsi revera nonnulli illo tempore contra aequalium doctrinas vocem tollebant, attamen nemo sane inficias ibit, in Christi Ecclesiam jam pridem irrepsisse et a praecipuis doctoribus propugnatas esse haud paucas doctrinas, quae morum institutioni admodum nocerent, et a purissimo Evangelio longissime recederent.

In pejora vero jam ruere res post Gregorii Magni tempora. Hic ipse cum in opere suo: *Moralia in Jobum*, tum in sua: *Regula Pastoralis*, permulta haud contemnenda dedit, ut Christianae Religionis placita ad vitam applicaret: quamquam a saeculi sui erroribus minime alienus fuerit, et nimis insuper Sacrae Scripturae allegoricae interpretationi favorit, nec erudite Ethicam Christianam exposuerit. Quatuor autem sequentibus saeculis minime quidem desunt viri, qui Ethicae operam nava-

runt¹⁾; sed omnes fere illi scriptores non nisi veterum Patrum scripta et effata illustrant, rarissimeque novas opiniones nobiscum communicant. Praecedentium saeculorum non tantum vigent et foventur errores; sed praeterea etiam hierarchiae vis magis magisque increscens, et Ecclesiae doctrina arctioribus vinculis obstricta in ethica scripta atque in morum vitaeque institutionem efficaciam non habere non poterant. Euangelii simplex morum doctrina temporum decursu miserrime sic erat depravata!

Nova autem Ethicae Christianae aperta est via, quum *Scholastici* et *Mystici* ei operam navare atque in operibus suis de ea agere coepissent.

Scholastici ab altera parte veterum Patrum, praesertim Augustini et Gregorii Magni sententias explicare pergebant, et Ecclesiae dogmata et effata tuebantur, ab altera cum his philosophiam Platoniam et imprimis Aristotelicam conjungebant. Aristotelis praesertim imitabantur in operibus suis componendis *systematicam methodum*; inde multae illae divisiones et distinctiones et quaestiones, quae omnibus Scholasticorum libris (qui vulgo „*Summae*” vocantur) propriae sunt, et quae diu etiam post Reformationem in Theologiae universae tractandae methodum magnam vim exercere. Ex hoc autem Aristotelis cultu, et ex studio omnis Theologiae secundum certas regulas certamque methodum tractandae, mox etiam exortum est desiderium, ut, quemadmodum summus ille philosophus *de Ethica* opera nonnulla scripserat²⁾, nunc etiam Ethica Christiana a ceteris Theologiae disciplinis magis separata conscri-

1) Cf. de Wette, *Christliche Sittenlehre*, II. 2. p. 31 sqq.

2) Ethicorum Aristotelis operum praecipua sunt: *Ethicorum ad Eudemum libri VIII*, *Magnorum Moralium libri II* et *Politica*.

beretur. Nunc igitur non tantum in Petri Lombardi, Alexandri Halesii multorumque aliorum Theologiae universae systematibus, Ethicorum quoque argumentorum mentionem fieri videmus, sed ab aliis Ethica Christiana secundum omnes scientiae regulas tanquam peculiare systema exponitur, Philosophiae tamen Moralis haud parum adhibito auxilio. Inter eos qui tali modo disciplinam nostram tractarunt eminent Abaelardus, Thomas Aquinas et (Saec. XV^o.) Antoninus.

Abaelardus in opere suo: *Ethica, sive liber dictus: Nosce te ipsum* ¹⁾, egregia permulta dixit praesertim de peccatorum natura et imputatione, licet minime in omnibus illi assentiendum sit ²⁾. Recentiorum Scholasticorum omnia dividendi et distinguendi studium apud illum nondum eodem modo cernitur, quod ex parte inde explicandum est, quod magis de virtutis et peccati natura univ-erse, quam de singulis virtutibus et vitiis disputaverit.

Studium illud multo lucidius patet ex Thomae Aquinatis systemate morali ³⁾, qui Aristotelis, Augu-

1) Ed. in *Theat. Anecd. noviss.* a Bern. Pez. Aug. Vindob. 1721. T. III. P. 2. p. 627 sqq.

2) Abaelardi de singulis rebus opinionem hic referre, cum argumento nostro minus convenire videtur, quam non tam de singulis opinionibus quam de universa Ethices tractandae methodo hoc loco disseramus. Quod ad accusationem contra Abaelardum illatam pertinet, quod *Jesuitarum* fuerit ille praecursor, bene attendendum est, illum docuisse quidem tunc oriri peccatum quando *assentiaris* iis, quae facere aut omittere dedecet, nec quando revera talia facias aut omittas; attamen nunquam illum contendisse facinus *malum* ob bonum perpetrantis finem aut consilium, pro *bono* revera habendum esse. Ceterum Abaelardi, Thomae et Antonini systematum moralium egregium conspectum dedit de Welte, l. I. p. 124 sqq.

3) Systema illud exhibetur in illius: *Summae Theologiae* prima secundae

stini et Gregorii Magni divisiones sequitur, novasque ipse iis adjicit. Apud ipsum Thomam et apud permultos alios scriptores, qui hunc secuti et imitati sunt, seorsim sermo est e. g. de quatuor virtutibus moralibus (prudencia, justitia, fortitudo, temperantia) de tribus virtutibus theologis (fides, spes et caritas), de septem Spiritus Sancti donis (Jes. XI), de octo beatitudinibus (Matth. V), de duodecim Spiritus Sancti fructibus (Gal. V : 22).

Innumerae moventur quaestiones, ad quas subtiliter necnon interdum multa cum sagacitate respondetur. Ubi materiem psychologiam tractat, Aristotelem presso pede sequitur Thomas; in practica praesertim parte videmus temporis sui erroribus haud parum illum indulsisse, Ecclesiaeque vinculis multo magis illum quam Abaelardum obstrictum fuisse. Romano-Catholicae Ecclesiae erronearum doctrinarum strenuus ac subtilis fuit ille propugnator et defensor: primus e. g. fuit, qui doctrinam *de operibus supererogatoriis* docte exponere conatus sit. Vitae contemplativae et monachicae altas celebrat laudes; haereticos acerrimo odio persequitur, magistratuum manu sine dubio poenam iis infligendam esse putat.

Aristotelis illa dialectica quum mox etiam in Ecclesiae *libros poenitentiales* vim exercere coepisset, futilis et perversa inde originem duxit illa, quae *casuistica* vulgo vocatur, *ars*. Plurimi enim componebantur libri, in quibus subtilissime varii examinantur *casus conscientiae*, et ostenditur, quomodo in omnibus illis homo Christianus sese gerere debeat. Omnia illa opera (quorum praecipua erant *Summa*

partis, quae universalis et psychologica continet, et secunda secundae partis, quae de virtutibus agit.

Astesana et *Summa Angelica*) auctorum ingenii sane testabantur acumen, sed bonis moribus et veri nominis Christianae indoli quam maxime contrarii erant. Boni mores enim et vita Christiana cum legum observantia plane confundebantur; de nullis non actionibus moralibus edendis dubius unusquisque haerebat; pernicioza probabilitatis doctrina haud parum his libris praeparabatur et commendabatur.

Huic Casuisticae arti operam quoque dedit Scholasticus ille, cujus nomen jam retulimus, et qui juxta Abaelardum et Thomam Aquinatem locum occupare sine dubio meretur, Antoninus, de ordine Praedicatorum, qui ab anno 1445 ad annum 1459 Florentiae fuit Archiepiscopus, vir et doctrinae copia et vitae sanctitate insignis. Scripsit enim ille opus casuisticum: „*Summa Confessionalis, sive confessorum refugium de eruditione confessorum, Interrogatorium et de restitutione*,” 1485 et frequentius ed. De Ethica Christiana vero melius meritus est, quam *Summam* suam *Theologicam* ederet ¹⁾.

Dividitur hoc opus in quatuor partes, quarum 1^a agit de principiis Theologiae Moralis; 2^a de peccatis; 3^a de variis hominum conditionibus; 4^a de virtutibus et gratia ae Sp^s. Sⁱ. donis.

Ex permultis operibus veterum philosophorum, patrum et scholasticorum (et inter hos praesertim Thomae) satis plenum et absolutum Theologiae Moralis systema Antoninus condidit. V. et N. T. libros maxima cum cura adhibet (allegorica autem illorum quam maxime delectatur exegesi):

1) „S. Antonini *Summa Theologica, in IV partes distributa*,” saepius edita est, optime autem a Pet. Ballerini, Veronae 1740. Egre-gium hujus operis conspectum dederunt de Wette, l. l. p. 179 sqq., et Stäudlin l. l. p. 99 sqq.

necnon juris civilis et canonici permulta allegat placita. Quamquam igitur bene ille de Ethica Christiana meritis sit, quippe qui omnem et psychologicam et Ethicam materiem in unum systema collegit; magnopere tamen dolendum est in hoc systemate tot atque tanta occurrere ab Euangelii doctrina et indole quam alienissima, quae diserte docent virum illum doctissimum temporis sui studio quam plurimum indulsisse, et Ecclesiae magis magisque depravatae jugo nimis facilem dedisse cervicem ¹⁾.

1) Antonini a Scholasticis desumptum distinctionum faciendarum studium ut in oculos incurral, quartae partis „annotationem generalem” inspicere tantum sufficit. Non tantum virtutes Christianae exponuntur secundum quatuor virtutum cardinalium indolem, secundum tres virtutes theologicas, secundum septem Sps. Si dona, sed singularum harum virtutum iterum arguta datur descriptio et divisio. Ubi e. g. Tit. XIV. de dono timoris agit, deinceps loquitur de timore mundano, carnali, naturali, servili, initiali, filiali, reverentiali; docet et exponit ejusdem Tit. Cap. 7, timendum esse in praesenti vita propter *septem* pericula; cap. 8: mortem esse timendam propter *septem* considerationes; cap. 9: assignationem rationum in morte de *septem* generibus rerum timeendam esse: cap. 10: purgatorium *septuplex* esse timendum, cet.

Quantopere Antoninus Ecclesiae doctrinae adhaereat ex nulla re magis patere nobis videtur, quam ex summo quo Mariam Virginem habuit honore. Ubi Tit XV, disputaturus est de dono pietatis, 44 impendit capita Mariae laudibus celebrandis, „omnis pietatis fontis, sive quantum ad actum divini cultus et reverentiae, sive quantum ad actum miserationis et subveniendi pauperibus.” Et hic praesertim allegoricam adhibet Antoninus Sacrae Scripturae interpretationem, in qua Subtilissimae et ridiculae plane inveniuntur disquisitiones; e. g. Cap. 11, ubi Albertum potissimum secutus de Mariae pulchritudine agit auctor, quae perspicitur et in debita corporis quantitate et qualitate, et in eleganti membrorum dispositione et proportione, et in coloris tam corporis, tum capillorum venustate: Cap. 17 sqq. ostenditur quomodo „Mariam, gratia plenam.” exornarint omnes virtutes theologicae et cardinales, omnia Sps. Si. dona

Mystica Theologia, quae praesertim postquam Pseudo-Dionysii Areopagitae opera a Joanne Scoto Eri-gena in sermonem Latinum conversa essent, vigeat, haud parvam habuit vim et efficacitatem in vitae vere religiosae studium excitandum. Quum Scholastici intellectui imprimis exornando, et Ecclesiae doctrinis exponendis et confirmandis operam navarent, Mystici ad vitam magis attendebant et virtutem Christianam ex vera pietate potius et fide, quam ex Ecclesiae legum et caerimoniarum observantia et philosophicis speculationibus oriri ostendere conabantur. De docta autem et erudita Ethicae Christianae expositione non adeo illi meriti sunt; necnon plurimi inter eos in devias aberrarunt vias, et praesertim quum cum Mysticismo Scholasticismus et Casuistica jungerentur, a vera Religione Christiana longe recesserunt. Egregia certe sunt permulta quae invenimus Ethici argumenti in variis scriptis Bernardi Clarevallensis, Victorinorum, Gersonis, Tauleri aliorumque multorum, de quibus omnibus singulatim agere et diutius nos detineret, et minus ad finem nostrum tendere videtur. In omnium autem illorum operibus displicet allegorica et mystica Sacrae interpretatio, displicet etiam a Scholasticis desumptus illorum distinguendi et sejungendi mos; attamen honorificum juxta Scholasticos et Casuisticos Mystici occupant

et ordinaria et etiam extraordinaria, necnon duodecim privilegia insuper addita. Multa jam talia addere possem, e. g. de explicacione vocis: „Ave” (Cap. 13); sed sufficiant ista! Restat modo, ut moneamus Antoninum haec non omnia ex sua mente hausisse, sed alios saepe secutum esse; ceterum virum, ceteroquin, ut diximus, doctissimum et de Ethica bene meritum, et temporis sui, et Ecclesiae docilem sese praebuisse discipulum ex dictis satis apparebit!

locum; nec parum horum, et universe omnium illorum, qui *Reformationis praecursores* ¹⁾ vulgo dicuntur, practica praesertim invalere opera, ut ipsis Reformatorebus via sterncretur puriorique Euangelii luci facilior de tenebris triumphus pararetur.

§ 2.

De iis, qui Saec. XVI et XVII ineunte de Ethica Christiana scripserunt in Ecclesia Lutherana.

Quamquam Saec. XVI rerum sacrarum Instauratione non tantum doctrinae castigationem, sed praesertim quoque vitae ac morum emendationem spectabat, universe tamen Reformatores de Ethices Christianae erudita expositione haud magnopere meriti sunt.

Ante omnes illos Lutherus, etsi non contemserit Edificen, haud magnum tamen ei tribuit pretium. Ille enim magnopere timebat, ne bonis operibus virtutibusque humanis pretio aliquo tributo solius fidei justificantis efficacia parvi aestimaretur. Diserte igitur docebat Christiano sufficere solam fidem, nec bonis operibus illi opus esse, ut pius sit; nullo eum teneri jussorum aut legum vinculo, ideoque iis liberatum esse ²⁾. Concedit quidem Dei praecepta hominum mentibus inscripta esse, et cum Naturae praeceptis decem leges Mosaicas convenire, sed simul

1) Laudandi inter hos praeter Fratres vitae communis, J. Lud. Vives, Des. Erasmus et permulti alii.

2) Lutheri *Opera*, ed. Walch, T. XX, p. 1206.

docet hominis mentem adeo tenebris obiectam esse, ut Naturae vocem agnoscere omnino nequeat, nec legem Moisaicam, ab ipso Deo promulgatam aliam vim habere, nisi quod peccati magis hominem convincat ¹⁾. » Una autem lex, quae bona est et per quam vivitur, est Dei amor in mentes nostras effusus per Spiritum Sanctum. » Et ex hac vera fide sponte profluent bona opera, etiamsi lex externa illa non jubeat nec imponat ²⁾.

Omnem porro libertatem quoad actiones morales homini abjudicat ³⁾, et Augustinianam defendit praedestinationis doctrinam. — Et quod ad Jesu consilium pertinet, illum non fere nisi peccatorum expiatorem esse agnoscit Lutherus; institutionem quoque moralem illum dare voluisse haesitans modo concedit. Legem enim deterrere tantum et condemnare putat, dum Christi Evangelium nil nisi gratiam annunciet ⁴⁾.

1) „Die zehn Gebote machen uns alle zu Schalken und Buben vor Gott; sie sind ein Spiegel darin wir unsere Sünden sehen können.“ ib. III. p. 1690. Cf. Stäudlin, l. l. p. 204.

2) Haec tamen ne ita accipiat Lector velim, quasi cum summi Reformatoris detractoribus Lutherum honorum operum contemptorem prorsus faciam. Longe saniozem illum hac de re sententiam fovisse quam plurimi ex ejus adversariis credere vel concedere velint, satis elucet ex his Lutheri verbis; „Gute, fromme werke machen nimmermehr einen guten, frommen Mann, sondern ein guter, frommer Mann macht gute, fromme Werke.“ Vel sic tamen Lutheri doctrinam de justificatione ex fide Ethices studio revera nocuisse nullus aequus rerum iudex facile inficias ibit.

3) De Lutheri cum Erasmo *de libero arbitrio* agitata lite non est quod fuisse hic agamus. Cf. (ut de aliis taceam) ter Haar, *Gesch. der Kerkherv.* I, p. 224 sqq., qui pulcherrimam hic Lutherum inter et Erasmus parallelam instituit.

4) „Hätte Luther“ ita recte de Wette, l. l. p. 281, „Christum

Quamquam ita ab Ethica tractanda abhorrebat fere Lutherus, veritus ne sanctificationi nimis operam dantes ad Romano-Catholicorum modo relicta castra reducerentur homines, ab altera tamen parte Ethicae Christianae haud parum profuit, quum totum illud perniciosum systema justificationis ex bonis operibus penitus rejecit ac veluti enecaverit, et permultas alias perversas Pontificiorum doctrinas vel ceremonias fortiter oppugnaverit, inter quas doctrinas de indulgentiis, de absolutione, de votis, de consiliis Evangelicis hinc citasse sufficiat.

Multo magis quam Lutherus Ethicae operam dedit Philippus Melanthon ¹⁾. Hic juvenis jam philosophiae studio et Aristotelis Ethicis praesertim operibus incuberat; postea autem, quum Reformationis causae sese addixisset, et intimam cum Luthero familiaritatem contraxisset, hujus opinionibus plane favens, pristina illa stu-

nicht vorzüglich bloß als Versöhner, sondern auch als sittliches Vorbild gefaßt, so würde ihm die Betrachtung desselben von dieser Seite die Richtschnur und den Gehalt der Sittenlehre gegeben haben, und er hätte diese nicht bloß in den zehn Geboten, und dem, was sich darauf im N. T. bezieht, gefunden, sondern eine eigenthümliche Christliche Sittenlehre aufstellen können. Aber er war zu sehr befangen in dem Widerspruch gegen die Katholische Werkheiligkeit, um der sittlichen Seite die nöthige Aufmerksamkeit zu schenken, und zu wenig wissenschaftlich gestimmt, um auch nur die Möglichkeit einer Verbindung des Glaubens mit der Sittenlehre zu ahnen. Sonst ist es alles, was er schreibt, voll des lebendigsten sittlichen Geistes."

1) Cf. J. C. E. Schwarz. „Melanthon und seine Schüler als Ethiker," in *Theol. Stud. und Krit.* 1853, p. 1 sqq. Melanthonis operum et tractatum Ethicam spectantium seriem exhibuit Stäudlin, l. l. p. 224.

dia reliquit ac respuit, et unius Pauli Apostoli discipulus esse voluit ¹⁾).

Mox vero has suas opiniones magis magisque immutavit ²⁾; rigidioioremque doctrinam de praedestinatione aliquatenus mitigavit, et philosophiae studio honorem suum restituit ³⁾, immo ethica nonnulla Aristotelis scripta edidit. Mitior illa Melanthonis sententia patet etiam ex *Hypotyposeōn*, s. *locorum communium* altera editione quae a^o 1536 in lucem prodit; illic enim synergismum quendam docet cum Lutheri et Augustini doctrina non omnimodo congruentem, nec ad fidem tantum, sed discrete quoque ad bona opera attendit, quippe quae tanquam fidei fructus omnino perpetrari oporteat.

Sed de Ethica Christiana praesertim bene meritus est Melanthon, quum a^o 1538 ⁴⁾ Basiliae suam *Epitomen*

1) Luculenter hoc testantur ipsius *Hypotyposes theologicae* a^o 1521 editae, et *Annotationes in Ep. ad Rom.* a^o 1522; quibus in scriptis etiam absolutam Praedestinationis doctrinam omni animo defendit.

2) Cujus rei vestigia jam inveniuntur in *Comment. in Ep. ad Coloss.* a^o 1527 edito.

3) Vid. e. g. *oratio de Aristotele*, quae invenitur in *Corp. Reform.* XI, p. 349: „Ita sentio, magnam doctrinarum confusionem secuturam esse, si Aristoteles neglectus fuerit, qui unus ac solus est methodi artifex. Quare vos (o studiosi!) hortor, ut hoc optimum doctrinae genus diligenter colatis et conservetis;” atque ib. VII, p. 622: „Quantum possumus, Deo jurante, ego et alii in hac Academia sumus hortatores, ut juventus discat doctrinam de Deo et adjungat veram philosophiam.” Cf. etiam ib. XI, p. 278 sqq., et 647; III, p. 189.

4) Nec 1539, ut dixit Pelt: „die Christliche Ethik in der Lutherischen Kirche vor Calixt.” *Theol. Stud. und Krit.* 1848, p. 273 sqq. Cf. *Corp. Ref.* XVI, p. 10 et 20. Epistola dedicatoria ad Christianum Pontanum Witebergensem, jam a^o 1537 conscripta, habetur in *Corp.*

Theologiae Moralis evulgaret, quo in opere ¹⁾ Aristotelis plane secutus methodum philosophiam juxta theologiam explicat. Priore libro disputat de hominis actionum fine ultimo; altero libro de variis agit virtutum generibus. Finis ad quem homines tendere debent secundum philosophiam moralem est Deo obedire et Illius gloriam illustrare; secundum Evangelium autem, agnoscere et accipere gratiam sibi oblatam propter Christum, et vicissim pro illo beneficio gratias agere, et ita Deo obedire Illiusque gloriam illustrare." Ut virtus ab homine colatur, libero huic opus est arbitrio, quod tamen non ita urgendum est, ut gratia Dei et Spiritus Sancti opera ideo vilipendeantur. Virtutes primum dividit secundum praecepta legis Mosaëacae, et deinde philosophorum more; omnino tenendum esse monet »leges naturales esse ipsas leges decalogi," quas maximi facit, et quas saepe etiam allegat, ubi Aristotelis scripta explicat.

«*Epitome* illa saepius edita est; notatu tamen dignissima est emendata editio, quae prodiit a°. 1550 sub titulo: *Ethicae doctrinae elementa.*" In hac enim majorem jam Melanthon theologicae parti operam impendit; melius e. g. hinc inquit de summo bono, et plures quam antea Scripturae Sacrae allegat locos.

Laudatis Melanthonis operibus adde commentationem *de anima* (primum a°. 1540, de novo a°, 1553 editam), quae

Ref. T. III, p. 359 sqq. Eadem exstat in Melanthonis *Opp.* Basil. T. IV, p. 199.

1) Cajus de Wettium, l. l. § 378 et 379 nullam omnino mentionem facere, admodum miror.

philosophico-biblicam psychologiam nobis tradit ¹⁾, necnon a^o 1549 edita *Initia doctrinae physicae*, et videbis illum universam philosophiae provinciam describere et tractare voluisse, in qua insignem sane locum Ethicae designat. Areta tamen, quibus haec continetur, *philosophiae* vincula quominus vere *Christiana* dici possit impediunt. Materiei q. d. ethicae magnam copiam ille congressit, quae aptam tantum manum requirebat, quae philosophiae vinculis illam liberaret, ut sic Christianae oriretur Ethicae systema.

Ad nostros usque dies vulgo putatum est ²⁾, praeter Lutherum et Melanthonem in Ecclesia Lutherana fere neminem de rebus Ethicis aliquid mentione dignum scripsisse, donec Calixtus priore Saecⁱ XVIIⁱ parte de novo hisce studiis incumberet, novamque Ethicae viam sterneret. Nostri vero temporis disquisitiones rem plane aliter se habere luce clarius ostenderunt. Jam enim a^o 1529 prodire Thomae Venatorii ³⁾: *de Vita Christiana libri III*, quorum brevis hęc sequatur conspectus. Vera virtus, secundum Venatorium, *ex fide oritur*, immo *haec est revera Christiana virtus*. Fidei haec virtus est Spiritus Sancti motus, qui primum ad rectam Dei cognitionem, dein ad rite constitutum cum proximo commercium homi-

1) Platonem secutus hęc omnibus hominibus *κοινός* nonnullas *επίδωκε* innatus esse contendit.

2) Inspicias e. g. laudata de Wettii et Stäudlini egregia opera.

3) Norimbergae circa annum 1488 natus, ibidem inde ab a^o. 1523 V. D. M. fait, et 1551 obiit. Linckii, Camerarii, Oslandri, nec minus Lutheri et Melanthonis fuit amicus. Vid. I. C. E. Schwarz: „Thomas Venatorius,” in *Theol. Stud. und Krit.* 1850, p. 79 sqq.

nem adducit; vim suam illa praesertim petit ex precibus et ex communione cum Deo. — Christiana libertas ex fide profecta bene distinguenda est a *libidinosa libertate*, quae omnia sibi licere putet; Christianus enim peccatis mortuus esse, ac sese illi, quam in Christo adspicit, puritati et sanctitati applicare debet: tunc Christo servicus revera liber erit, et, ab omni lucri cupiditate alienus, officia sua omnibus legum servis libentius praestabit ¹⁾. Gratus pro gratia oblata et importita animus ad amorem Dei incitare debet, qui Ipse propter se diligendus est, et ob quem etiam cuncta cetera diligenda sunt. — Egrege deinde Venatorius exponit, quomodo unumquemque Christianum conveniat *rectitudo*, „ea nempe virtus, qua anima ipsa . . . libere et intrepide ubique et semper vocem vocantis et miserentis Dei sequatur, et qua communem communis patriae sortem non secus ac propriam complectatur,” et quomodo quatuor *principia honesti* (sive virtutes, q. d. cardinales) perfecta non sint, nisi ex *virtute fidei* originem ducant.

Liber secundus praesertim excursus dogmaticos et metaphysicos continet, ut veteres philosophos oppugnet auctor. Verumtamen hinc quoque plane egregia nonnulla occurrunt Ethici argumenti, e. g. de vita aeterna. Tertia denique operis pars praecipue de fidei indole, de Dei cognitione et de communione cum Deo agit.

Universe hoc opus plus uno nomine laudandum est.

1) „Haec est,” inquit, „officiosa illa libertas, cujus ductu facile in obsequium spiritus fert habenas caro, nec unquam se non continet intra suos terminos.”

Fides enim Christiana auctori nostro vis et *ἐνέργεια* est, quae veram vitam communicat et ad omne bonum opus excitat. Etsi enim fides jam antea ab Augustino et praesertim a Thoma virtus Christiana vocata esset, hoc tamen a Venatorio multo magis urgetur: nec vero sic in aliorum mechanismum relabitur. Omnino justificationis non tantum objectivam, sed magis etiam subjectivam et ethicam partem ille respexit; quod pro magna parte explicandum ex ipsius cum Andrea Osiandro amicitiae conjunctione. Etiam si igitur non omnes Ethices Christianae locos tractaverit Venatorius, vel sic tamen hinc, jam antequam Melanthonis *Epitome* in lucem prodiret, conamen aliquod videmus, ut Ethices Christianae conde- retur systema, quod minus philosophiae quam fidei fun- damento inniteretur.

Ethicen quoque spectat aliud quoddam Venatorii opus: »Epistola dedicatoria ad J. o. Hanerum, de sola fide justificante nos in oculis Dei. Norimb. 1534" 1), quo in libro operum merita acriter impugnantur. Ceterum, quam- quam hinc magis quam in praecedenti opere orthodoxae doctrinae favere videatur, et magis ad objectivam quoque justificationis partem attendat Venatorius, eodem tamen modo atque illic subjectivam imprimis partem in luce

1) Scripserat nempe Hanerus opus, cui titulus: „Prophetia vetus ac nova, hoc est vera scripturae sacrae interpretatio. De sincera cognitione Christi deque recta in illum fide." (Lips. 1534). De Hanero, qui antea Zwinglii opinionibus et doctrinae addictus fuerat, et de ejus opere, in quo jam Pontificiorum doctrinam de bonis operibus defendit, vid. Schwarz. I. I. p. 111 sqq. Venatorii epistolae exemplar servatur in nostra Biblioth. Academica.

collocat, et sic ex sola fide et inde orienti communione cum Deo bona opera profluere posse ac debere multis ostendit.

Ad Melanthonis scholam redeamus! Hunc magistram mox secuti sunt permulti discipuli, qui plerumque illius et *locos theologicos* et *epitomen* annotationibus illustrarunt, aut saltem similem quam ille viam incesserant. Primus inter illos fuit David Chytraeus, qui jam 1555 edidit suas: *Regulas vitae s. virtutum descriptiones in praecepta decalogi distributas*. Licet auctor in posteriore quadam hujus operis editione priori nonnulla addiderit, multa tamen, quae in Ethicae expositione exspectes, frustra hinc quaeruntur: et universe nil fere hinc nobis offertur, nisi virtutum et vitiorum secundum decalogum recensio.

Ceteros omnes, qui Melanthonem secuti sunt¹⁾, silentio hinc praetermittimus, quippe qui, uno fortasse Strigelio excepto, haud digni sint, qui cum ipso magistro vel e longinquo comparentur. Praeterea ejus regulam: leges naturales esse ipsas leges decalogi, nimis urgentes, illi omnes ad philosophiam et decalogum multo magis quam ad Evangelium attenderunt, atque insuper ecclesiae formalismo sensim paullatimque nimis indulserunt.

Antequam autem ad Calixtum progrediamur, duo alii viri, qui Saec. XVI vixerunt et quorum erga Ethicam Christianam merita nuper modo exposita sunt, atten-

1) Eorum praecipui sunt: Viet. Strigel, qui scripsit: *Υπομνηματα in Melanthonis Epit. Phil. Mor.* 1567; Pezel, *Annotationes ad Melanthonis Epit.* 1589; Trygophorus, *Concertationes ethicae*, 1606; Joh. Volkmar, *Disputt. ethicae*, 1611; Jac. Martini, *Synopsis Ethicae*, 1626.

tionem nostram paululum jam requirunt, Nicolaus Hemmingius ¹⁾ et Paulus Eitzenius ²⁾.

Horum prior, Nicolaus Hemmingius ³⁾, jam 1557 Christiano III, Daniae regi dicaverat suum: *Enchiridion Theologicum, praecipua verae religionis capita breviter et simpliciter explicata continens*, in quo opere theologiam Melanthonis exponit, «praeceptoris optime non solum de me, sed de tota ecclesia Christiana meriti.» Permulta Ethicae capita accurate hinc tractantur; ad προάξιμ praesertim omnia spectant. Prima operis pars omnia complectitur, quae ad foedus gratiae et ad Christi regnum pertinent; secunda communem vitae informandae regulam exhibet; tertia regimen ecclesiasticum; quarta denique vitam politicam et oeconomicam tractat. Quamquam et hinc nonnulla laud contemnenda occurrunt, multa tamen, quae in Ethices Christianae systemate minime desiderari possunt, silentio prorsus praeteriit auctor.

Cum hocce Hemmingii opere theologico conferendum est alterum illius opus philosophicum: *de lege naturae apodictica methodus* (1562 et saepius), in quo legem naturae moralem et ex homini innatis principiis moralibus, et ex ipsius legis fine explicare conatur. De multis rebus hinc disquisitiones instituuntur, in supra laudato libro plane omissis, praesertim ad anthropologiam pertinentibus. Hinc quoque explicatur decalogus tanquam legis naturae

1) Cf. Schwarz: *Melanckthon und seine Schüler*, l. 1., p. 37 sqq.

2) Cf. Pelt, l. 1., p. 276 sqq.

3) Natus est ille circa annum 1513; per quinquennium Melanthonis lectiones audivit; postea linguae graecae et dialecticae Professor, dein Copenhagensis Ecclesiae Pastor factus est, qua in urbe a. 1600 diem obiit.

epitome, variaque ejus praecepta applicantur ad hominum statum ecclesiasticum, politicum et oeconomicum, haud paucis veterum allegatis dictis. De ipsa Dei patefactione in hoc opere Hemmingius non loquitur.

Paulus Eitzenius (von Eitzen) ¹⁾ scripsit opus ethicum, cui titulus: *Ethicae doctrinae libri IV, conscripti in usum studiosae juventutis*. 1571; alterum volumen, continens V libros posteriores, 1573 et saepius. Incipit auctor, qui Melanthonis exemplum sese imitatum esse fatetur, disputatione de variis, quas Natura dederat, legibus; dein de scripta Dei lege (Mosaica nempe) et de humanis institutis agit. Postquam Melanthonis definitionem secutus de discrimine egit, quod philosophicas inter et theologicas virtutes intercedit, causas tractat „propter quas a justificatis seu renatis nova obedientia bonorum operum praestari debeat,” quarum novem enumerantur variis locis ex utriusque Foederis libris et e profanis scriptoribus confirmatae. — Peccati vi factum esse ostendit Eitzenius, ut homo scopum sibi propositum nullo modo attingere possit, et multo magis Satanae quam Dei ostendat imaginem. Quapropter Dei gratia in Evangelio patefacta et fide in Christum homo reformari, et ad pristinum illum finem reduci debet. Ideo Deus nobis dedit legem suam, „quae de hoc fine nos admonet, et illam imaginem a nobis requirit”. Hinc ansam arripit auctor, ut permultis loquatur de decalogo, qui totius operis quasi cardo est, et cujus explicatio a libro secundo ad octavum usque decurrit.

1) E nobili familia 1522 Hamburgiae natus, ab anno inde 1562 Slesvigae degit, ubi recens conditi Gymnasii director factus est et 1598 obiit.

Magno ingenii acumine nec parva doctrinae copia omnia hinc collegit et junxit auctor, quae ad varia legis Mosaicae praecepta referri possunt: multi hinc quoque, ut in Introductione, afferuntur ac explicantur Sacrae Scripturae loci; multaque sine dubio occurrunt, quae cum Evangelii indole ab omni parte congruant; vel sic tamen Peltio assentiri non possumus, dicenti ¹⁾: »Eitzenii hoc opus, si ejus indoles spectetur, esse Ethicam revera Christianam nec philosophicam.» Nos enim in hoc opere, ceteroquin suis laudibus ac meritis minime defraudando, philosophicam et Mosaicam indolem potius discernimus quam indolem Christianam, vere Evangelicam, qualis e. g. ex Venatorii opere multo magis elucet.

Ab omnibus, quae hucusque memoravimus, operibus Ethicis magis minusve discrepat illud, cujus nunc conspectum quendam dabimus: Georgii Calixti, Amyraldi aequalis, *Epitome Theologiae Moralis* ²⁾. — Ex Calixti mente hic est Theologiae Moralis *finis* ut homo fidelis in fide et in statu integritatis perseveret ³⁾. Illius igitur

1) l. l. p. 277.

2) Hoc opus, cujus prior pars prodit 1634, nunquam ad finem perduxit auctor; illius autem filius F. U. Calixtus priorem illam partem de novo edidit unâ cum C. Calixti *Digressione de arte nova*, contra Bartholdum Nihusium, et ipse alteram partem adjecit. Calixti patris opus diu frustra quaesivi; tandem alteram illius editionem ex sua bibliotheca benigne mihi procuravit Ven. J. J. van Voorst.

3) „Finis igitur ultimus hujus Theologiae partis, uti universae Theologiae, salus et beatitudo est aeterna, ... sive potius accurate loquendo, finis hujus partis adaequatus est: „*conservatio fidei subiectivae et status gratiae*, in quantum a studio pietatis et sanctimonia vitae pendent.“
Epit. p. 3.

subjectum non unusquisque homo est, sed tantum *homo fidelis et conversus*.

Huic autem duo insunt principia inter-se diversa, immo sibi invicem opposita: spiritus et caro; jam Theologia Moralís potissimum occupatur „in appetitus cum sensitivum rationalis ét passionibus moderandis ét affectionibus gubernandis 1).” Ad hujus subjecti qualitates etiam pertinent variae in quibus homines versantur *conditiones* „per quas ad aliquid sibi singulare et proprium obligantur 2).”

Hominis renati illi actus, qui secundum speciem suam supernaturales dici possunt, proficiscuntur a Dei gratia et a Spiritu Sancto in fidelium animis habitante, tanquam a *principio primario*.

Huic autem principio supernaturali subordinantur vires hominis naturales, inter quas primum locum occupat intellectus proprium iudicium, sive dictamen practicum actiones humanas respiciens, quod conscientiam vocare solemus 3); quae conscientia vel recta et certa est, vel probabilis 4), vel erronea, vel dubia. — Postquam deinde

1) „Nempe, etsi a Natura ita comparatum sit, ... ut sine vitio et exorbitantia semper esse non possimus, ... tamen si vitium sistatur in motu sive perturbatione, cui non accedat deliberatus aut plenus voluntatis consensus, peccatum proprie dicitur veniale, quod fidelem extra gratiae statum non ponit, nec fidem et Spiritum Sanctum ejicit.” l. l. p. 7.

2) Singulis hominibus quatenus incumbant officia, se tunc expositurum esse monet auctor (l. l. p. 12), „ubi ad *virtutes in specie* exponendas descendemus, et quid a quoque fieri oporteat explicabimus.” Hanc autem operis sui partem nunquam attigit!

3) Hoc intellectus iudicium vel *practice practicum* est, quando nempe actiones antecedit, vel *speculative practicum*, quando actiones sequitur.

4) „Si una sententia, sit altera probabilior, potes etiam eligere *minus*

etiam egit auctor de actionibus voluntariis et involuntariis, etiam ostendit quomodo actionis bonitas aut pravitas ex circumstantiis saepe augetur et increseit; quas circumstantias vulgari comprehendere monet versiculo: »Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?»

Eminet inter illas *res cur*, sive actionum finis ¹⁾. Hominis renati actus si non semper actu, saltem virtute referri debent ad finem simpliciter ultimum, sive bonum absolute summum, nempe Deum Opt. Max.

Postquam sic absolvit auctor singula capita de Theologiae Moralis fine et subjecto deque hominis renati actionum principiis, nunc longiore ²⁾ eodemque ultimo capite de *legibus* loquitur. »Deus ex praescripto *aeternae suae legis* hominibus congenitum aliquod lumen et naturale rationis dictamen indidit, e quo cognoscere possint, quae sint honesta, quae turpia. Haec est *naturalis lex*, quae comprehendit cum prima universalissima principia practica, tum conclusiones inde deductas. Quum autem haec lex in hominibus obscurata sit et veluti in oblivionem venerit ³⁾, Deus denuo peculiari promulgatione ea patefecit

probabilem, dummodo intra terminos probabilitatis revera sit constituta, i. e. vel ratione alicujus momenti, vel auctoritate gravi non careat. Si tamen minus probabilis sententia secum trahat *periculi peccandi*, non licet eam sequi." l. i. p. 27.

1) „Nam finis malus actionem ex objecto bonam corrumpit. At non contra finis bonus vel intentio bona actioni ex objecto malae bonitatem impertit." l. i. p. 42.

2) Decurrit scilicet inde a pag. 45 ad pag. 120.

3) Decem hic impendit Calixtus paginas, ut varia atrocissimorum, quibus Ethnici dediti erant aut jam sunt, criminum et peccatorum ex veterum et recentiorum scriptorum operibus undique congerat exempla.

animisque inculcavit. Et haec est *lex moralis, decalogo comprehensa*, cui unum tertium (quartum) praeceptum tanquam novum aliquid additum est; unde sequitur lege Naturae sive praeceptis decalogi neminem non teneri 1). Huic legi porro accedunt nonnullae leges *positivae* et divinae et humanae.

Neque vero hae decalogi leges ab homine rite observari nec igitur ipsi hac via beari possunt. Idcirco aliam adhuc tulit Deus legem, *Evangelicam* nempe, cui etiam pro diversitate V. vel N. F. alia nonnulla instituta positiva addita sunt. Quibus igitur Christiani reguntur quibusque obligantur leges vel *fidem* spectant, vel *sacramenta*, vel *mores*.

Haud pauca nunc adjicit auctor de legibus *humanis* positivis, de legibus *ecclesiasticis* et *politicis*; tandemque adeo his rebus animum attendit ut inde a pag. 98 ad operis usque finem, primi sui propositi prorsus immemor, nil tradat nisi *historiam juris et legislationis Romanae* a primis inde temporibus, quae (ut tota haec *Epitome*) egregiam quidem testatur Calixti doctrinae copiam et eruditionem, ad Theologiam vero Moralem minime pertinet.

Difficillimum est de hac Calixti *Epitome* aequum ferre iudicium; quae difficultas pro magna parte inde oritur, quod auctor opus suum non absolvit, sed de legibus disputans a consilio suo plane aberravit. — Vulgo Calixto haec tribuitur laus, quod primus ille inter Protestantes

1) Ante omnes, his tenentur homines Christo fideles: „hi nempe non sunt sub lege terrene et cogente, multo minus condemnante; interim tamen sunt sub lege obligante et dirigente eos in via sanctitatis et justitiae, quam omnino ambulare oportet.” l. l. p. 63.

Ethicam a Dogmatica Theologia sejunxerit, atque ita Ethicae Christianae singulare systema condiderit. Sed haud scio an hoc de Calixti opere judicium improbandum sit; nam, si unum Venatorium excipis, omnes qui in ecclesia Lutherana ante Calixtum de Ethica Christiane scripsere, hanc non cum dogmatica theologia sed cum philosophia conjungere solebant, qua in re Melanthonis exemplum imitabantur, atque omnes, juxta Naturae leges, multo magis decalogi quam Euangelii praecepta explicabant. Jam vero si Calixti operis quod exstat fragmentum inspicimus, videmus hoc nomine de Ethica Christiana illum egregie meritum esse, *quod Ethicam philosophiae nimis stringentibus vinculis liberavit, et cum Euangelii docteriae praecipuis capitibus arctius illam conjunxit* ¹⁾. Totum enim Ethicum illius systema fidei fundamento innititur; »est quasi dogmaticae capitis de sanctificatione copiosior explicatio»; idcirco quoque nemo nisi homo renatus Ethices Calixtinae subjectum est. Et quum praeterca decalogi explicationi non eundem, atque antea fieri solebat, locum concederet, Ethicae revera Christianam

1) Peltius, l. l. p. 317, hoc de Calixti *Epitome* judicium fert: „Die Christliche Moral ist bei ihm *in entschiedener Abhängigkeit von der Christlichen Dogmatik* die Denk- und Handlungsweise des Wiedergeborenen. Die bisherigen Abhandlungen der Ethik gaben eigentlich die allgemeine philosophische Sittenlehre mit Christlichen Anwendungen, diese gibt umgekehrt die Christlich-ethische Gesinnung und Handlungsweise mit Rückweisungen auf die philosophische Ethik.“ His summo jure additis nunc addit: „Den Ruhm also der Lostrimmung der Christlichen Moral von der Dogmatik gebührt Calixt ganz allein.“ Haec quomodo cum praecedentibus cohaereant non video. Nam ex tota Peltii expositione et ex prioribus verbis patet illum plane nobiscum facere; hisce autem ultimis verbis additis ipse sibi repugnat.

indolem ille addidit ¹⁾. Quibus rebus hujus Theologiae partis eruditae expositioni impulsus quendam dedit, ita ut multi post illum Ethicam non amplius philosophico-theologicam, sed Christianam magno cum ardore tractare et exponere coeperint.

§ 3.

De iis, qui Saec^o XVI et XVII ineunte Ethicae Christianae operam navarunt in Ecclesia Reformata.

In Ecclesia Reformata a primis inde Reformationis temporibus Ethicae Christianae majorem operam datam esse videmus quam inter Lutheranos. Quum enim inter hos uno Venatorio excepto nemo invenitur, qui non Ethicae philosophicae nimium tribuerit pretium, apud illos plane aliter ea res sese habuit ²⁾. Nam etsi quod supra mo-

1) Cum hac nostra de Calixti *Epitome* sententia conveniat Henke in pulcherrimo opere: *G. Calixtus und seine Zeit*, I. p. 514 sqq. et Gass, qui (o. l. *Gesch. der Prot. Dogm.* II. p. 100) scripsit: „Dieser unvollendet gebliebene Entwurf bezweckt keine philosophisch unabhängige, sondern eine streng mit dem dogmatischen System verbundene Moral, und gerade dadurch gewinnt derselbe an Wichtigkeit, weil der Vorfasser ganz aus seiner Theologie heraus arbeiten wollte, und für Materien, die wohl auch im Artikel von der Heiligung und vom Gesetz hätten ausgeführt werden können, dennoch eine selbstständige Behandlung suchte.“

2) Cf. A. Schweizer, *die Entwicklung des Moralsystems in der Reformirten Kirche*, in *Stud. und Krit.*, 1850, p. 1 sqq.

nimus et quod praesertim de *Luthero* valere vidimus, hic quoque cernatur, ipsos nempe *Reformatores* de *Ethices Christianae* erudita expositione haud magno opere meritos esse, attamen *Zwinglius*, licet doleamus in illius scriptis non plura *Ethici* argumenti inveniri, minime eodem modo ac *Lutherus* *Ethices* expositioni infestus erat, quid? quod tota illius viri indoles quam maxime practica erat; et *Calvinus* breve jam aliquod *Ethices Christianae* systema „*Institutionibus*” intexuit. Hos plurimi secuti sunt, qui suo quisque modo rem tractarunt, in hoc autem fere omnes conveniunt, quod illorum institutio moralis non philosophiae sed religionis *Christianae* placitis innititur, inter quos eminent *Daneaus*, qui jam 1577 primus dedit absolutum *Ethices Christianae* systema.

Discrimen illud inter *Reformatos* et *Lutheranos Theologos* in hujus disciplinae expositione praecipue explicandum videtur ex varia harum *Ecclesiarum* indole. *Reformati* enim *Zwinglium* et *Calvinum* secuti ab initio multo magis ad praxin, ad morum emendationem, ad ethicum sacrorum *Instaurationis* principium attenderunt, dum *Lutherani* doctrinae stabilicndae praesertim operam dabant¹⁾. Dixerunt quidem multi absolutae praedestinationis dogmatis defensionem maximum fuisse stimulum, qui *Reformatos Theologos*

1) Cf. *Schneckenburger*, zur *Kirchlichen Christologie*, p. 163 et 188, qui etiam ad *Ecclesiae* *Reformatae* pietatis *historicam* indolem attendit: „Die Reformirte Frömmigkeit blickt zurück nach einem Punkt in der Geschichte, der für sie absolut bestimmend ist, ... Christus im Stande der Erniedrigung, dessen Bild und Verkündigung wirksam zu machen, auch die ganze Arbeit des H. Geistes ist, als wodurch allein Christus im Stande der Erhöhung auf die Gemüther fortwirkt.“

impelleret ut Ethicae operam navarent. Quod tamen iudicium non ab omni parte probandum esse putamus. Primum enim nullus eorum, quorum ethica scripta hinc nobis occurrunt, talem finem sibi propositum esse indicat, nec quisquam eorum, etsi omnes doctrinae de praedestinatione favcant, discrete hujus dogmatis in ethicis operibus mentionem facit. Calvinus quidem in *Institutione* sua ¹⁾ perniciosas, quae ex illo dogmate deduci possunt conclusiones, paucis refutat, sed ubi antea Ethices Christianae schema dederat, de tali refutatione nullus sermo fuerat. Deinde accusationes illae, Reformationum dogmata de praedestinatione et de perseverantia sanctorum bonis moribus nocere, primis temporibus nondum circumferebantur: nam Balthazarus Fährmannus, Lutheranus, anno denum 1620, et Jansenistae modo post Amyraldi tempora scripta sua huc pertinentia ediderunt ²⁾. Neque sane obliviscendum est, illos ipsos qui inter Lutheranos Ethicae tractandae manum admoverunt, non fuisse praedestinationis strenuos defensores, sed Melanthonis fere omnes discipulos. Sed de singulis, qui de Ethica Christiana in Ecclesia Reformata scripsere pauca nunc adjiciamus.

Haec, uti jam monuimus, in Zwinglii scriptis non tot

1) *Instit. Rel. Chr.* L. III. c. 23, § 12.

2) B. Fährmanni *Tractatus Theor. pract. de remoris ac impedimentis sinceræ pietatis e principiis dogmatum Pontificiorum, Calvinianorum, Photinianorum resultantibus*. Vitcb. 1628. Jansenistarum primus Calvinistis se opposuit Arnauld in libro: *le Renversement de la Morale de Jesus-Christ par les Calvinistes*, 1672; quem ut refelleret Bruquier, Ecclesiae Reformatae Nemausensis Pastor, edidit: *Reponse sommaire au livre: Renversement, etc.* 1637, quae duo scripta dein plurimum librorum ab utraque parte compositorum ausam dederunt.

Ethici argumenti res inveniamus, quot a viro tam practicae indolis exspectaremus, attamen in illius *commentario de vera et falsa religione* et ceteris illius operibus variis locis sparsae nobis occurrunt egregiae ad vitam recte pieque instituendam adhortationes, quae simplicitate et Evangelica puritate magnopere se commendant. Romano-Catholicae modo relictae Ecclesiae mechanismum et doctrinam de bonis operibus fortiter oppugnans simul ostendit, quomodo fides Christiana Ecclesiam, civitatem, familias, singulos personas implere et regenerare et vera religio in totam hominis vitam vim suam exercere debeat ¹⁾. Haec religio, a Christo Eiusque Evangelio perfecte patefacta, quoad substantiam suam, revera eadem jam erat sub V. ac sub N. F., immo in Paradiso jam aliquatenus patefacta erat ²⁾, quare piis Ethnicis Zwinglius beatitudinem abnegare non audeat ³⁾.

Calvinus non tantum in Commentariis et ceteris suis scriptis multa praecepta moralia dedit, sed etiam *Institutioni Religionis Christianae* systematis Ethices Christianae brevem conspectum inseruit ⁴⁾. Ad duo praecipua capita omnia, quae hinc de vita hominis Christiani dicun-

1) „Zwingli's Moral," ait Schweizerus, l. I. p. 11: „ist eine patriotische, die Sittlichkeit des Staates und Bürgers bezweckende, aber eine pastoral-patriotische, in welcher das echte, aus den lauteren Quellen geschöpfte Wesen des Christenthums, in subjectiver Frömmigkeit angeeignet, das ganze Leben von Miszbräuchen reinigen und umgestalten soll.“

2) „Hic ergo religionem originem sumpsisse luce clarius videmus, ubi Deus hominem fugitivum ad se revocavit, qui alioqui perpetuus desertor futurus erat.“ *Opp.* T. III, p. 174.

3) Zwinglius, *Ad Regem Christianissimum*.

4) *Inst. Rel. Chr.* I. III, C. 6—10.

tur, referri possunt: primum enim ostendit Calvinus, quomodo unusquisque Christianus singulari justitiae amore affici debeat, atque igitur agit de *incitamentis* ad virtutem Christianam; deinde ipsa *vitae Christianae praecepta* tradit.

Commendandae justitiae scripturam ostendit rationes habere plurimas et optimas. Et primum quidem monet nos sanctificari oportere » quia Deus noster sanctus est.” Porro ostendit illa Deum Patrem, quemadmodum nos sibi in Christo suo conciliavit, ita in Eo nobis imaginem signasse, ad quam nos conformari velit ¹⁾. Deinde ab omnibus, quae Deus nobis largitur, beneficiis, ac singulis salutis nostrae partibus sumit exhortandi materiam.

Vitae Christianae summam huc redire vel ejus principium hoc esse monet Calvinus, ut fideles » praebeant Deo sua corpora, hostiam viventem, sanctam et illi acceptam” (Rom. XII: 1), in hoc enim cerni legitimum ejus cultum ²⁾. Ex hac *abnegatione* nostri et illud consequi-

1) „Age,” inquit Calvinus, „praestantiorum oeconomiam mihi apud philosophos reperiant, qui apud eos solos rite atque ordine dispositam putant philosophiam moralem. Illi dum ad virtutem egregie volunt adhortari, nihil aliud afferunt, quam ut naturae convenienter vivamus. Scriptura autem a vero fonte deducit exhortationem, quum non modo vitam nostram ad Deum auctorem, cui obstricta est, referre praecipit, sed postquam degenerasse nos docuit a vera creationis nostrae origine ac lege, subjungit Christum, per quem in gratiam cum Deo redimus, nostra exprimamus. Quid hoc uno efficacius requiras? immo quid ultra exemplar, cujus formam in vita nobis propositum esse hoc unum requiras?” I. I. Cap. 6. § 3.

2) „O quantum,” exclamat, „ille profecit, qui se non suam esse eductus, dominum regimenque sui propriae rationi abrogavit, ut Deo asscrat!” I. I. Cap. 7. § 1.

tur » ut ne quaeramus quae nostra sint, sed quae et ex Domini sint voluntate, et faciant ad gloriam Ejus promovendam.” Singulas deinde vitae bene compositae partes Pauli Apostoli verbis ita exsequitur Calvinus, ut nos admoneat, » ut ablegata impietate et mundanis concupiscentiis sobrie et juste et pie vivamus... expectantes beatam spem, cet.” (Tit. II : 12—14). Per multa ex hoc abnegationis principio, et ex tribus huic adjunctis virtutibus derivat praeccepta, quae ad nosmetipsos, proximos et Deum spectant; et deinde egregie exponit illam abnegationis partem, quae consistit in *crucis tolerantia*, cujus fusc describit indolem et necessitatem et utilitatem.

In omnibus autem tribulationibus hic semper a nobis respiciatur finis, » ut assuescamus ad praesentis vitae contemptum (qui tamen neque ejus odium generet, neque adversus Deum ingratitude), indeque ad futurae meditationem excitemur.” Ultimo tandem loco describit, quomodo praesenti vita et ejus adjumentis utendum sit. Duo hinc monet aequae vitanda esse extrema: alterum, ut corporeorum honorum eatenus tantum homini permittatur usus, quatenus necessitati intersit, alterum ut carnis intemperiei et luxuriei nimis indulgeatur. Universe ad suam conditionem et ad Dei voluntatem unusquisque attendat; » libentius enim magistratus partes suas obibit, paterfamilias se ad officium astringet, quisque in suo vitae genere incommoda, sollicitudines, taedia anxietates perferet ac vorabit, ubi persuasi fuerint onus cuique a Deo esse impositum.”

Ex brevi hoc conspectu apparet, haud uno nomine praestantissimum Calvinum compositurum fuisse systema

ethicum, si quae hîc inveniuntur fusius pertractasset, jureque monet Schweizerus illius theoriam hîc multo mitiorem esse quam rigidam illius praxim, quae tamen ob saeculi morum perversitatem necessaria quodammodo erat ¹⁾.

Post Zwinglium et Calvinum primus in Reformatâ Ecclesia Ethicae operam impendit Petrus Plateanus ²⁾, qui Gallico sermone opus scripsit, latine deinde versum sub titulo: *Ethica Christiana, seu de recto usu moralis philosophiae cum doctrina Christiana collatae*. Ostendere conatur ille quomodo Christiana religio, quae vetus philosophia omiserit, diserte et optime doceat. »Philosophia enim non tantum Dei voluntatem ignorat, sed vim etiam tyrannidemque peccati in Adâe posteris isti-

1) De hoc Calvinî Ethices conspectu laudandum est de Wettii iudicium (l. l. p. 290): „Es gereicht sehr zu Calvin's Ehre, dass er in diesem Abriz der Christlichen Sittenlehre so tief in das Wesen derselben eingeht, und eine Entwicklung des Gehalts der Christlichen Gesetzgebung versucht. Aber er gibt sie bloz von der *negativen* Seite, die Sittlichkeit ist ihm die Abgezogenheit vom Menschlichen, nicht dessen Vollendung und Verklärung. Die Einheit des Menschlichen und Göttlichen wahr ihm noch nicht klar.“

2) De Plateano ejusque opere ethico nil monuit Schweizerus. Nostros oculos in illum convertit Henkius, l. l. p. 510. Circa annum 1520 natus, sub Henrico II et iterum sub Carolo IX, Galliae regibus, amplissimo ille munere functus est; ab anno inde 1560 publice reformationis causae se addixit; 1572 nefandae Hugnotarum caedis ille quoque victima cecidit. Opus illius primum prodit Par. 1562, sub titulo: „traité du droit usage de la philosophie morale avec la doctrine chrétienne.“ Vid. Weiss in *Biograph. Univ.* in v. de la Place (a Platea, Plateanus) T. 35, p. 4, 5. Operis versio Latina inest Plateani *opusculis* ed. 1587. Nobis illud non venit sub manus; igitur paucis, quae dixit Henkius, contenti esse debuimus.

usve tyrannidis causam nescivit." Christiana contra religio summi boni veram notitiam nobis dedit ¹⁾, atque ideo ad virtutum cultum, quas omnes a fide pondere docet, multo efficacius nos incitat. Virtutum illarum dein singularum expositionem dat Plateanus, et Aristotelico more harum unamquamque in mediocritate consistere ostendit. Plateani hoc opus, quod meritis sane minime caret, magis tamen virtutum Christianarum expositio, quam *Ethices Christianae* systema dicendum esse videtur.

Quindecim annis ²⁾ post laudatum Plateani opus prodire *Ethices Christianae libri III*, confecti a Lamberto Danaeo ³⁾, qui primus inter Protestantes eruditum nobis tradit hinc *Ethices Christianae* systema; ita tamen, ut quae Philosophia in Ethicam praestiterit non spernat, sed potius ostendat, philosophiam moralem ad perfectionis culmen evectam cum Ethica Christiana revera convenire. Totum opus in tres divisum est partes: primum enim disputat Danaeus de humanarum actionum principiis et causis; deinde de humanarum actionum re-gundarum et rite instituendarum norma et praeceptis;

1) „Virtus sine dubio summum illud bonum summaque felicitas appellabitur et erit, in qua videlicet reperietur Dei notitia nobis per Filium se communicantis et in nobis ad gloriam suam bona opera edentis, quae felicitas moralem et philosophicam modis omnibus superat." o. l. l. 14.

2) Anno nempe 1577. Tertia editio „ab ipso autore recognita," inest Danaei *Opusculis Theologicis* (1 spesium Vol. 1^o, cujus exemplar in nostra Biblioth. Acad. servatur, anni 1583, nec 1683 ut errore scripserunt Stäudlinus et de Wettius.

3) Danaeus (Daneau), Theod. Bezae amicus, 1580 natus erat; 1560 Generam, 1581 Leidam, 1582 Gandavium vocatus est, inde postea in Navarrae regnum profectus est, ubi 1596 obiit.

tertio loco de variis virtutum, quae sunt actionum nostrarum rite instituendarum norma, nominibus, itemque varia vitiorum appellatione et natura.

Praesertim prima anthropologica pars, in qua vulgo Calvinii opinionibus calculum suum adjicit auctor, haud parva cum doctrina et eruditione scripta est ¹⁾. Primum hęc inquit, quid Ethica Christiana sit, eamque dicit esse «tum internaе, tum externaе nostrae sanctitatis i. e. totius vitae nostrae reformationis, qualis esse debeat, plenam perfectamque institutionem et doctrinam,» et deinde exponit quibusnam nominibus ipsa differat a profana et philosophica et a Nomothetarum praeceptis ²⁾. Omnium porro actionum nostrarum honestarum principium dicit esse Dei Spiritum Sanctum, qui nos regeneret, et voluntatem nostram e prorsus mala bonam beneque affectam efficiat et commutet ³⁾. Quod ad actionum nostrarum *finem* attinet, generalem illam Scriptura monet esse *Dei gloriam*, proximum autem vel *Deum* vel *proximos*, quum omnia vitae nostrae officia vel Deum

1) Copiosam primae hujus partis conspectam dedit Schweizer, l. l. p. 26 sqq.

2) „In nonnullis rebus illa inter se conveniant; in tribus praesertim capitibus dissentiant: 1. in origine boni et mali quaerenda; 2. in finibus bonorum et malorum pangendis; 3. in materia ipsa virtutum et vitiorum.” Vid. l. l. C. 2.

3) „Ita commutati jam bene velle incipimus et bene consultare. Nam ante innovationem nostram ipsi per nos *non magis bene vel velle vel agere possumus quam volare*. Sed ubi Dei Spiritus sese cordibus et affectibus nostris insinuavit eosque dirigit et infectit, tunc incipimus bene velle et agere, quamquam et haec actiones nostrae honestae sunt semper infinitis modis imperfectae.” ib. C. 24.

spectent, vel homines ¹⁾). Actionum nostrarum *regula* est Dei Verbum et Lex. »Ergo illa coelestis Lex sola et vera est vitae nostrae recte sancteque instituendae regula, ex qua sunt explicandae virtutes omnes. Quamobrem ita demum perfecte Ethice *Christiana* traditur, quum *decem divinae legis praecepta* exponuntur, in quibus fines nostrarum actionum et vitae ostenduntur.» Quamobrem secundo operis sui libro utriusque legis Mosaicae tabulae praecepta fuse explicat, permultis variorum scriptorum ²⁾ allatis verbis et locis probantibus, et (aliquatenus Scholasticorum more) innumeris propositis quaestionibus, quibus responsa adduntur; et tandem tertio libro longissima serie omnium illarum virtutum, quae ex altera decalogi tabula profluunt, iisque oppositorum vitiorum nomen et naturam explicat. Dolendum est, postquam opus suum erudite inchoasset, his duobus ultimis libris Decalogo nimis adhaerentem a bona via Danaeum deflexisse. Ceterum in singulis moribus castigandis Calvino etiam rigidiorum censorem egit ille; cuncta, quae a Lutheranis Theologis inter *ἀδιόγορα* referri solebant, saltationem, spectacula, convivia prorsus ille condemnat; Ambrosium secutus non tantum mendacium officiosum, sed jocum etiam nono Decalogi praecepto vetari monet ³⁾; magistratus *in haereticos gladii potestatem* habere facile ex S. Scr. demonstrari posse contendit ⁴⁾.

1) Officiorum, quae erga nos ipsos praestanda habemus, nullam fere disertam mentionem fecit Danaeus.

2) Inter quos etiam citat, de quo supra egimus, N. Hemmingium „D. egregium et sibi plurimum charum.” *Opusc.* pag. 191.

3) l. I p. 171, 172.

4) Allegat (l. I. p. 134) Deut. XVIII: 20; 1 Reg. XVIII: 40;

Tempore illo, quod Danaeum inter et Amyraldum intercedit in Ecclesia Reformata certamen aliquod observamus de nexu inter Ethicam philosophicam et Christianam. Dum enim antea jam Petrus Ramus cum Scholasticis etiam Aristotelem et universe totam veterem philosophiam Christianis plane respuendam esse docuisset, Bartholomeus Keckermannus, Dantiscanus, in suo *Systemate Ethicae tribus libris adornato* (post auctoris mortem in illius *Operibus omnibus* a^o 1614 edito) philosophiae jura non vindicavit tantum, sed omnino Ethicam aequae ac Oeconomicam et Politicam ad philosophiae partem practicam nec ad Theologiam Christianam pertinere docuit. »Nisi quis,» inquit, »ethicam a theologia distinguat, jura divina ab humanis non distinguit, ac oeconomicam et politicam immo jurisprudentiam facit partes theologiae. Etsi autem ethica differat a theologia, tamen cum ea neutiquam pugnat; nam boni mores non pugnant pietati, sed potius ad eam animum praeparant.» Inter virtutes ethicas et theologicas est distinctio graduum, ita ut quod deest virtutibus ethicis, id disciplina theologica addat et compleat ¹⁾.

2 Reg. X: 21. „Ratio est, cum sit Magistratus custos utriusque Tabulae, ad eum pertinet non modo furta et homicidia punire, sed etiam *blasphemias, quarum maxima est haeresis*. Et Paulus ad curam Magistratum refert non tantum morum et vitae *εὐσεβείαν* i. e. honestatem, sed etiam *σεμνότητα* i. e. pietatem.”

1) Ethicam a Theologia distinctam esse dicit „tum quia *finis* utriusque distinguitur: illius nempe finis est bonum morale, hujus finis bonum spirituale; tum quia *objectum* non est idem: nam theologia versatur circa interiorum hominis affectum, ethica vero circa mores externos in civili societate; tum quia *subjectum* ethicae est vir probus, bonus ac honestus, theologiae vero vir pius ac religiosus.

Nimiae huic Keckermanni ethicae philosophicae aestumationi opposuit sese Guilielmus Amesius ¹⁾, natione Anglo-Britannus, doctissimus Professor Francqueranus, postea Ecclesiae Anglicae Roterodamensis Pastor; scripsit enim ille: *Medullam Theologiae*, quo in opusculo Ethices Christianae jura strenue defendit, et praeclare ostendit philosophiam Theologiae Christianae, quippe omni nomine praestantiori, cedere oportere. Ut Keckermannus, sic ab altera parte Amesius quoque a bona via aliquatenus aberravit, dum hic nexum qui revera inter utramque intercedit Ethicam non satis agnoscat.

Simili modo atque Amesius, paullo ante illum Aman-
 dus Polanus Polansdorf, Professor Basiliensis; Rami
 sententiae addictus, in *Syntagmate theologiae Christianae*,
 1609, Ethices Christianae systema constituerat. Hic enim,
 eadem methodo, quam postea Hoornbeeckius, Pe-
 trus a Maestrïcht, Witsius inter nostrates et permulti
 exteri secuti sunt, totam theologiam Christianam in duas divi-
 dit partes, quarum prima agit de fide et de rebus credendis,
 altera de bonis operibus et de rebus faciendis, ita ut theologiae
 pars dogmatica et pars ethica eodem honore afficiantur. Ceterum
 Ethicae praecepta sive virtutes Christianas et Amesius et
 Polanus pro maxima parte secundum Decalogum explicant,
 cui tamen non tam arcte adhaerent atque Danaeus.

1) Amesius ejusque praeceptor Guilielmus Perkins de *Casuistica* primi in Ecclesia Reformata egerunt; horum tamen opera veterum Casuisticorum libris multo praevalent (Cf. Stäudlin. l. l. p. 422 sqq). Amesius praeterea etiam oppugnavit Arminianos et Socinianos, et Metaphysicae tractandae vulgari methodo se opposuit.

Aliam viam ingressus est Antonius Walaeus ¹⁾; qui nempe in suo *Compendio Ethicae Aristotelicae ad normam veritatis Christianae revocato*, eclectice quae in veteri philosophia praestantia occurrunt collegit et ex Christiana Theologia illustrat et amplificat. Primum agit de summo hominis bono; dein de virtute, quae est medium et via ad summum bonum ducens; tandem de variis virtutibus specialibus. In toto opere veterum philosophorum primum recensentur opiniones, et dein quod de singulis rebus aliter vel melius docet Christiana Religio additur.

Nec deerat in Ecclesia Reformata ante Amyraldi tempora popularis Ethicae Christianae expositio; ejusmodi enim librum jam a^o 1606 conscripserat Loquius ²⁾. Quamquam praecipuus illius fons sit Sacra Scriptura, veterum tamen scriptorum profanorum et Patrum scripta sedulo adhibet. In explicandis variis virtutibus Christianis Decalogum vulgo sequitur. Ceterum cum Calvinii indole et opinionibus omnimodo Loquius convenit.

Postea haud pauci spargebantur libri *practici et ascetici*, praesertim in Anglia conscripti, qui tamen cum

1) Natus erat a^o. 1573. Postquam Medioburgi et Leidae studiis operam dedisset et varia itinera fecisset, Ecclesiae Medioburgensis Pastor electus est. Deinde postquam in Synodo Dordrechtana orthodoxam doctrinam defendisset, in Academia Leidensi Professor creatus est, quo munere ad mortis usque annum 1639 functus est.

2) Hujus operis titulus, a Schweizero laudatus, est: „Tropologie ou propos et discours des mœurs, contenant une exacte description des vertus principales, desquelles les vrais Chrestiens doyvent estre ornez, et des vices, dont ils doyvent estre purs, et consequemment des devoirs auxquels ils sont appelez de Dieu—par B. de Loque, Dauphinois.”

Evangelii indole haud ab omni parte conveniebant, qua de re supra ipsum Amyraldum jam queri vidimus¹⁾.

§ 4.

EPICRISIS.

De Amyraldi erga Ethicam Christianam meritis.

Postquam sic breviter opera praecipuorum theologorum, qui et ante Reformationem, et post Reformationem in Ecclesia Lutherana et Reformata Ethicam tractarunt respeximus²⁾, nunc in eo sumus, ut de singularibus Amyraldi erga Ethicam Christianam meritis aequum ferre possimus iudicium.

1) Vid. supra p. 89.

2) In Ecclesia Romano-Catholica post concilium Tridentinum tristissima erat Ethicæ Christianæ descriptionis conditio. Ab altera enim parte pauci viri, qui doctius Ethicam exponere volebant (e. g. Lud. de Mendoza, Joannes Malderus) non nisi veterum scholasticorum opera presso pede sequebantur; ab altera autem existit perniciosa *Jesuitarum* Theologia Moralis, vel potius *Casuistica*, qui, nimio Ecclesiae et doctrinae et auctoritatis defendendae studio ducti, quantopere sensim sensimque et accommodationis systemate, et probabilitatis doctrina, permultisque aliis falsissimis sententiis ad bonos mores pervertendos tetenderint, difficile dictu est. Ex magno numero Jesuitarum, qui opera ad Ethicam spectantia scripsere, hic tantum citentur: Franc. Tolctus, Suarez, Laymann, Billincius, Escobar, et praesertim Busenbaum, cujus operis, testante de Wettio, 52 prodire editiones saepe adauctae. De Jesuitarum theologia Morali fuse et egregie egit Stäudlin, l. l. p. 448—509.

Primo quidem obtutu patet non primum fuisse Amyraldum, qui peculiare quoddam Ethicae Christianae systema composuerit. Nam (ut de Thoma et de Antonino taceamus, quippe qui etiam alius argumenti res ethicis suis operibus immiscuerint) in Ecclesia Lutherana quodammodo Venatorium, Eitzenium, Calixtum, sed praesertim in Ecclesia Reformata Danacum hac in re habuit antecessores. Ab altera tamen parte nullum adhuc conditum erat systema, quod tam copiose atque fuse omnes res exponeret, quae eo tempore ad Ethicam Christianam pertinere putarentur ¹⁾.

Comparatione Amyraldum inter et Danaeum institutâ, sponte patet hunc doctius opus condere voluisse, cujus rei, e, g. testes nobis sunt frequentia multorum dicta, Graeco vel Hebraico sermone allegata.

Amyraldus contra non in scholarum et virorum eruditorum sed Gallico sermone in uniuscujusque generis hominum usum scripsit, ita quidem ut et viri eruditi et nobiliores haud sine fructu ac dilectatione illius opus legerent, et ineruditi facile illud intelligere possent. Et hunc scopum egregie attigit! Ab altera enim parte uniuersae quaecunquo dicit satis aperta et dilucida sunt, multaeque operis partes styli elegantia rerumque enarratarum grata expositione non tantum facile intelliguntur, sed suaviter prorsus et jucunde leguntur; ab altera parte cum hac simplicitate, ab omni doctrinae ostentatione alienis-

1) Antonini Florentini opus majorem quidem habet ambitum; sed bene attendendum est, quot et quanta hic admixta sint quae non nisi dogmatici sunt argumenti; quot et quanta quae potius Ecclesiae doctrinam satis depravatam exponunt et defendunt, quam Ethicam Christianam spectant.

sima, haud pauca tamen conjunxit, quae egregie ostendunt cum, uti in theologicis eruditissimus erat, sic aliis quoque permultis disciplinis haud leviter incubuisse.

Ex historia e. g. cum antiquiore tum recentiori permulta citat et fata et personas, nec talia tantum, quae omnium memoriae facile succurrunt, sed plurimas res quae minus notae sunt et quae vulgo hominum attentionem fugiunt; et ubicunque opportunitas datur, uniuscujusque fere aetatis et nationis scriptorum verba allegat. Quae res magis etiam in admirationem nos rapit, quando animadvertimus *Amyraldum* totum hoc opus composuisse nullo adhibito librorum auxilio; itaque illum quaecunque afferat et alleget, non nisi in memoriam suam revocasse quae antea legerat aut audierat ¹⁾; quam rem ante oculos habentes, si illius opus perlustramus, nescimus fere utrum magis miremur magnam copiam eorum, quae variis temporibus ille perlegerit, an excellentem memoriam, qua tot variorum scriptorum effata mente sua complecti et retinere potuerit. Philosophicorum quoque systematum multorum accuratam dedit *Amyraldus* ex-

1) Ipse ait, T. VI: (Suite de P. IV) p. 761: J'avois bien le dessein universel formé dans l'entendement, mais quand il a fallu venir à particulariser, chaque chose, j'ay écrit ce qui m'est venu dans la pensée, sans aucune meditation precedente, sans assistance de livres, et sans en avoir fait disposition. De sorte que ce que j'y ay emprunté des Auteurs et des sciences, est venu de ce qui m'est resté de mes anciennes études. Pour le reste, ce sont toutes pures productions de mon esprit, qui à mesure que j'escrivois me sont nées sur le champ." Porro queritur se, multis laboribus obrutum opus hoc non uno tenore sed magnis saepe temporis intervallis, conscribere debuisse, nec unum volumen scriptum relegere potuisse. Licet haec operis boni ordini aliquantulum interdum nocuerint, ab altera parte ab iis augetur omnium rerum vivacitas et fervor.

positionem, nec minus accuratam saepe refutationem. Inter Philosophos, ut vidimus, plurimi faciunt Aristotelem, eumque frequentissime praesertim in Anthropologica operis sui parte sequitur, nec tamen ostendere haesitat quibusnam in rebus ejus doctrina minus probanda sit, et ubinam illius systema aut amplificandum aut prorsus corrigendum sit ¹⁾).

Magna quam Amyraldus operi suo impendit cura, patet etiam e ratione qua varia variorum hominum officia descripsit et exposuit. Nemo enim ante ipsum tam diserte et abunde ostenderit, quaenam et Ethnicis et Judaeis et Christianis praestanda sint pietatis et caritatis officia; nec tamen, etsi nil fere quod huc jure pertinet, omittat, in vanas et spinosas relabatur Amyraldus Casuisticorum quaestiones ²⁾). Primum uti vidimus ostendit, quaenam virtutes omnes universe Christianos exornare debeant, et pulchre saepe quum virtutum tum vitiorum depingit indolem ³⁾);

1) Vid. e. g. supra p. 41 in nota.

2) Subtilibus Scholasticorum et Casuisticorum quaestionibus non plane abstinnisse Amyraldum, ostendit, quam supra (p. 44) memoravimus, illius inquisitio, utrum primi homines in innocentiae statu risissent.

3) Ut pateat, quam bene Amyraldus virtutum et vitiorum indolem et perspexerit ipse, et depingere sciat, pauca citare liceat verba ex pulcherrima *invidiosi hominis descriptione*, quam T. III. (Suite de P. II.) p. 612 - 618 legimus: „Premièrement, pour esloigner de luy ce soupçon d'estre enuieux, vous le verrés ordinairement declamer contre l'enuic et dans ses discours publics, et dans ses conversations particulieres. Il ne manquera pas non plus de parler fort auantageusement de ceux, qui sont bien esloignés et avec lesquels il ne sauroit entrer en concurrence de chose quelconque... afin de faire paroistre qu'il a l'ame genereuse... Il ne craindra mesme pas de louer un homme de mesme profession que luy, pourveu que par ce moyen il oblige ceux qui l'ecoutent à en faire quelque comparaison, qui soit desavantageuse à ceux ausquels il s'est particuliere-

deinde totum adjicit volumen, in quo, nulla fere societatis humanae conditione omissa, quaenam pro harum discrimine unicuique perficienda sint, indicat, ut omnes omni tempore nomine suo Christiano dignos sese praebeant. Christi enim Spiritus ita fidelibus inhabitare debet, ut unicuique illorum actioni tanquam nota characteristica Christiana imprimatur, et sic sensim sensimque et singuli homines et familiae et tota societas revera Christianae indolis testimonium in fronte gerant. Hanc paullatim et singulos homines et totam societatem humanam emendantem et sanctificantem Christianae religionis vim, quam Zwinglius praesertim et Calvinus multis semper jure commendabant, maximi quoque fecit Amyraldus, et ut in omnibus suis operibus, sic et in hoc, ad ethicum illud Evangelii momentum et practicam ejus indolem quam maxime oculos intentos habet. In hac, de qua dicimus, expositione luculenter simul apparet, quam bene Amyraldus humanam mentem, ad ultima usque cordis penetralia, per-

ment attaché par la passion de sa jalousie... S'il void celuy contre qui sa jalousie se porte estre dans une action publique écouté favorablement, il mord ses leures, et frappe du pied, et la constitution de son visage se change... Si apres cela il oit parler de luy avec eloge, il demeure dans une morne taciturnité, ou il detourne le propos ailleurs, ou il trouve quelque chose à mordre en ce que les autres estiment... S'il se rencontre en compagnie avec luy, ... il prend tousiours le contrepied de ses sentimens... et rabaisse avec un sousris mesprisant ses raisonnemens et ses allegations. Si celuy, à qui il en veut, met quelque production de son esprit en lumiere, il dit: „À quoy faire tant de livres? Pour moy, on m'a bien aussi exhorté à escrire, et aussi bien que les autres, i'en ay eu des occasions; mais ie laisse faire les Saumaises et les Scaligers...” Sed hic subsistendum nobis est! Ne minimae quidem ab auctore omittantur res, ut omnibus numeris absoluta fiat invidiosi illius imago viri.

spexerit; undenam hominum sive bonae sive malae actiones originem suam petere soleant, accurate saepe indicat; dumque bonae atque pulchrae actiones dignis laudibus apud illum non destituuntur, vitia et cunctorum mortalium et aequalium suorum cujusvis ordinis atque conditionis apte detegit et severe reprehendit.

In variorum officiorum et virtutum divisione porro discrimen aliquod obtinet inter Amyraldum et eos qui ante illum de Ethica egerant. Hi enim Decalogum potissimum secuti vulgo et cunctorum hominum, et Christianorum quoque officia dividebant in officia erga Deum et erga proximos. Amyraldus autem non tantum de his loquitur, sed diserte etiam exponit, quae erga nos ipsos officia praestanda habeamus. Unus Calvinus, abnegationem nostri Ethicae Christianae principium esse ducens, de his nonnulla dixerat; ceteri omnes illa prorsus fere neglexerunt. Summo tamen jure eorum mentionem fecit Amyraldus, et quid erga nos ipsos observandum nobis sit, indicavit, ut in his quoque Evangelii excellentiam nos persentiscere ostendamus, secundum cujus institutionem, ipsius Naturae effatis hac in re innitentem, quum animum exornare et sanctificare tum corpus nostrum non despiciere aut vili pendere, sed contra tanquam donum Dei et templum Spiritus Sancti servare debemus.

Schröckhiius (l. l. p. 350) hoc de Amyraldi systemate ethico iudicium tulit: »est illud potius doctrina de officiis et virtutibus, quae sub variis salutis oeconomicis hominibus conveniant, quam Ethicam veri nominis Christianam.« Hoc autem iudicium iniquissimum vocare nulli dubitamus. Quamquam enim sane negari non potest,

officiorum expositionem magnam operis implere partem, attamen hinc imprimis in sui temporis luce Amyraldi opus collocandum et contemplandum est. Nam quid, quaeso, aliud invenimus apud illos, qui ante Amyraldum hac de re scripserunt, et quorum praecipua opera supra breviter perlustravimus? Nonne fere omnes, brevissima tantum saepe introductione praemissa, statim pergunt ad officiorum expositionem, veluti credant, Christianam religionem non esse nisi doctrinam de virtutibus, aut officiorum bene compositum systema ¹⁾? Si igitur cum illorum operibus Amyraldi opus conferimus, jam ex conspectu, quem dedimus, generali facile patet, ipsum de omnibus fuse agentem singula officia copiose quoque exposuisse; sed ab altera parte nullam fere rem quae hodie in theoretica Ethices parte tractari solet, silentio ille praetermisit, et de multis accurate disputavit, de quibus antecessores nihil fere dixerant: ita ut Schröckkii accusatio ad hos omnes multo magis quam ad Amyraldum pertineat. — Nec concedimus illius systema non dicendum esse Ethicam Christianam. Licet enim non distincte pendeat ab uno quodam vere Evangelico principio, sive ab abnegatione nostri, ut Calvinii brevis expositio, sive a regeneratione, ut Calixti Epitome, attamen de fide Christiana non tantum bene disputat Amyraldus, illamque cum animi fiducia artissime conjungit, sed etiam ex tota illius disputatione satis

1) In mentem hinc revocemus e. g. Eitzenii et Danaei opera. Et si Calixti opus ad finem perductum esset, fortasse hoc quoque jure citari posset, quippe cujus nunc ultimum caput tam copiose jam de legibus agat.

superque elucescit, eum omnem ad animos emendandos vitamque bene instituendam vim tribuere soli fidei Christianae et regenerationis principio et Euangelii salutiferae efficaciae. Concedimus quidem Christi personam non eum in hac Ethica occupare locum, quem jure suo in omnibus Christianorum disciplinis theologicis occupare debet, et qualem ei vindicantes nostro tempore in nostra patria Groningani imprimis Theologi optime de cuncta Theologia meriti sunt; attamen ne nos fugiat, ad Christi exemplum diserte idque egregie attendisse Amyraldum, et, praesertim ubi de incitamentis ad pietatem Christianam agit, optime eum indicare, quot ex illius exempli contemplatione et imitatione praestantissimi nobis fructus redundant ¹⁾. Assentimur quidem de Wettio dicenti ²⁾, non satis considerasse illum puram atque sanctam Christi indolem ac vitam tanquam Ethices Christianae principium; simul autem cum eodem addimus, hunc fuisse communem illius temporis defectum; et universe hoc de Amyraldi opere iudicium ferri posse putamus: qui in illo nunc cernuntur defectus, sunt defectus illius temporis, permulta autem egregia, quae in illo occurrunt, auctori nostro uno propria sunt!

Sed rogabit fortasse aliquis, nonne summum bonum Christianorum in felicitate aeterna quaerens nimis eudaemonistica sit Amyraldi Ethica, quam ut cum spiritali religionis nostrae indole conveniat. Habemus autem quod his respondeamus; jam enim ubi primum de summo bono ultimo actionum humanarum fine agit, cum Aris-

1) l. l. T. V. p. 458 sqq.

2) o. l. p. 322.

totele omnes omnino eudaemonisticas opiniones oppugnat, et docet nonnisi ob suam praestantiam suamque dignitatem virtutem esse colendam ¹⁾. Et ubi porro felicitatem aeternam depingit, quae constantibus Christi sectatoribus a Deo concedetur, in hac ipsa felici conditione maximi illi valet omnis peccati et mali absentia, et aeterna vita cum Christo, in sanctissimi Dei communiōne, ita ut hinc quoque bonum morale praee bono physico longe emineat.

Sed eo imprimis et praee omnibus suis antecessoribus de Ethica Christiana bene meritus est Amyraldus, quod novam secutus sit illius tractandae methodum, historicam nempe viam ingressus. Displicebant ei scilicet varii modi quibus ante eum Ethica exposita erat, et ante Reformationem ab ecclesiae doctrinae fautoribus et post rerum sacrarum instaurationem a Melanthonianis et a Reformatae quoque Ecclesiae sociis; non contentus erat ille variis conaminibus, ut Ethica Christiana cum Philosophia Morali in concordiam redigeretur, quibus ante ipsum permultos in Reformata praesertim Ecclesia intentos et occupatos vidimus. Apte igitur hoc consilium ille iniit, ut *historiae* vocem audiens et institutionem secutus ad singulas Dei attendat patefactiones, vel ad singula quae Deus cum hominibus iniit foedera, videatque quibusnam

1) I. I. T. I. p. 127 sqq. Scribit e. g. p. 142 (quem locum supra quoque allegavimus): „S'il y a quelque chose de naturellement excellent, et qui merite d'estre aimé à cause de luy-mesme seulement, il faut que ce soit la vertu... C'est en elle que consiste le bien *honneste*, et qui s'appelle proprement *bon* et *beau*, au lieu que tous les autres biens sont compris sous le nom d'*utile* et de *delectable*, qui luy sont de beaucoup inferieurs en dignité.”

nominibus haec inter se conveniant, quibusnam contra discrepent. Historicam hanc methodum secutus, minime spernit, quae philosophia de hominis natura et officiis docere potest: e contrario cum maxima cura hanc Naturae institutionem exponit, et ita ostendit quacnam ab illa pietatis et caritatis praecepta praescribantur ét hominibus in naturae integritate viventibus ét Ethnicis, qui nulla extraordinaria gaudent Dei patefactione. Huic Naturae institutioni Ethicam Christianam prorsus superstruit Amyraldus, diserte docens Spiritum Sanctum non alium fidelibus dare corporis vel animi organismum, sed animos nostros tantum emendare et peccati tenebris liberare; Christianam igitur religionem a natura nostra humana non alienam esse aut cum illa pugnare, sed cum illa pulcherrime convenire, ita ut, quae Euangelium nos doceat et a nobis exigat, perfecte congruant cum rationis humanae naturalis effatis, et in iis tanquam fundamento suo nitantur.

Haec autem ut lucide eniteant, attendendum est ad discrimen, quod jure Amyraldus obtinere dicit inter hominis primitivam *naturam* et illius peccato subjectam et inquinatam *conditionem* ¹⁾. Nemini eorum, qui ante ipsum de Ethica scriperant, in mentem venerat, ut tam fuse exponeret, quousque hominum sanae rationis Naturaeque

1) Haec distinctione diserte facta, egregie de Anthropologia meritis est Amyraldus; nec satis ad illum attendisse mihi videtur Cl. Hofstede de Groot, ubi scribit (*De Groninger Godgeleerden*, pag. 89). „Er wordt hier en in al onze geschriften een scherp onderscheid gemaakt tusschen onzen *aanleg* (welken wij doorgaans *natura* noemen), die *goddelijk* is, en onzen *toestand* (*conditio*) welke *zondig* is. Ik weet niet, of wel iemand vóór of nevens ons dit onderscheid maakt, enz.“

institutione tantum utentium pervenire potuisset notitia nexus sese inter et Deum, et officiorum inde exortorum, siquidem in naturali innocentiae conditione illi permansissent, nec peccato indulgentes a recta via magis magisque aberrassent.

Novae quam Amyraldus secutus est methodi haec quoque sequela est, quod peculiariter ille attendit ad *historiae progressum* et ad totum genus humanum a Deo ductum et educatum. Non tantum indicat, quinam sit nexus inter Dei patefactionem sub Foederibus Naturae et Gratiae, sed etiam ad necessitudinem inter Vetus et Novum Testamentum in Ethica exponenda attendit. Non collegit enim Ethicam Christianam ex tota Scriptura Sacra nullo discriminis inter utrumque Foedus respectu habito; sed (quamquam a temporis sui indole non plane recedit et typologicae interpretationi multo nimis favet) bene distinguit inter varias Dei patefactiones veteribus Israëlitis per Patriarchas et Moysen et Prophetas, nobis autem per Jesum Christum concessas. Ceterum data opera exponit, quantopere nobis Christianis prosit V. F. historiarum cognitio et observatio, quum ex omnibus populi Israëliti fatis egregiam nobis informare possimus Summi Numinis notitiam, Illiusque perfectissimae virtutes nobis multo clarius quam ipsis veteribus Israëlitis in horum historia conspicuae sint.

Sed quantopere praesertim de lege Mosaïca Amyraldi sententia ab ipsius praedecessorum opinione discrepat! Supra enim vidimus, quanti jam Medio Aevo lex Mosaïca facta sit, et quomodo etiam post Reformationem illa tanquam complexus Ethices Christianae consideraretur. Vidi-

mus non tantum Melanthonem ejusque scholam, sed omnes fere qui illa aetate de Ethica scripserunt huic sententiae addictos fuisse; inspicientibus nobis e. g. Chytraei, Fitzenii, Danaei operibus ¹⁾ sponte patet hos legi Mosaïcae explicandae omnem operam impendere, et inde omnia Christianorum quoque officia deducere. Longe aliam viam iniiit Amyraldus. Legem Mosaïcam et totam Veteris Foederis dispensationem magni quidem facit, debitumque ei tribuit honorem, sed Evangelium longe ei antecellere in omni sua disquisitione ostendendum sibi proponit. Legis illius decem praecepta fidelibus Christianis quoque observanda ducit, sed hanc tantum ob causam, quia *cum Naturae essetis illa congruant atque iis innitantur*, et Evangelium quaecunque Natura doceat non abrogaverit, sed denuo sanxerit et ipsum illi fundamento superstructum sit. Non igitur, ut antea fieri solebat, legis Mosaïcae praecepta sufficiunt Amyraldo, docenti quomodo Christianorum vita instituenda sit, ut secundum Evangelii indolem bene beateque vivant; sed ulterius ille progreditur, et demonstrat ex nova et praestantiori cum Deo communionem, in quam per Evangelii nuntiationem et per fidem in Christum intravimus, novam quoque eamque anteriori infinito sublimiorem originem ducere oportere pietatem erga Deum, caritatem erga fratres, vitae denique sanctimoniam.

Dolendum sane est Amyraldi vestigia neminem pressisse eorum, qui post illius tempora de Ethica Christiana

1) Calixti opus non absolutum hic quoque apte dijudicari nequit. Cf. tamen quae supra diximus p. 154 in nota.

scripserunt ¹⁾. Cujus rei variae exstitisse mihi videntur causae. Ab altera enim parte heterodoxiae labes non plane ab Amyraldo remota multos eo tempore ab illius scriptis legendis deterrere debuit, unde factum est, ut haec paullatim multo nimis oblivioni tradita sint; ab altera parte ét ex Anglia afferbantur ét in Germania aliisque terris conficiebantur multa scripta ascetica et pietistica, quae cum Evangelii libertate (ut bene jam perspexit Amyraldus) haud satis quidem saepe congruebant, multorum autem manibus tercebantur; dum alii fidei symbolis omnino animo adhaerentes in horum defensione quasi vitae Christianae summam consistere putabant, et confessionum illi jugo libenter sese subjicientes, longe magis ad doctrinam quam ad vitam attendebant. Qui autem in Germania doctae Ethices Christianae expositioni operam dabant, Calixtum fere omnes secuti sunt.

Quo magis gaudemus post longum intervallum nostro tempore non tantum in Ethica Christiana exponenda, sed

1) Inter eos, qui post Amyraldum in Ecclesia Reformata Ethicae operam navarunt, praecipuum locum occupant la Placette, qui e Gallia profugus Trajectum ad Rhenum venit, ubi 1711 obiit, et Benedictus Pietetus, Genevensis, anno 1724 vita defunctus. La Placette edidit plurimos tractatus ethicos et etiam conspectum Ethices Christianae, sub titulo: „la Morale Chrétienne abrégée et réduite à trois principaux devoirs, la repentance des pecheurs, la persévérance des justes et les progrès, que ces justes persévérans doivent faire dans la piété.” (Amst. 1695 et saepius). Pietetus scripsit: „Morale Chrétienne ou l'art de bien vivre 1695,” et „Medulla Ethicae Christianae 1712. Hac in re praesertim convenit cum Amyraldo, quod non tantum omnium universe Christianorum officia, sed praeterea etiam „officia singulorum juxta eorum vocationem et statum” describit, et discrete quoque agit „de officiis et virtutibus Christiani respectu sui ipsius.”

in omni Theologiae provincia historicam illam viam novo ardore incedi, illiusque »testis temporum et magistrae vitae» vocem magis magisque audiri. Non sane eodem prorsus modo atque ab Amyraldo factum est, nostris diebus Ethica Christiana exponatur velimus: nostrae disquisitionis hic tantum fuit finis, ut Amyraldi pro ejus tempore erga Ethicam Christianam merita, exponeremus atque ostenderemus quantopere ille et aliis nominibus haud paucis, et historica praesertim via incesa, prae ceteris omnibus, qui ante ipsum huic Theologiae disciplinae operam navarunt, longe emineat. Licet igitur non omnia, quae in hoc opere nobis occurrerunt, laudibus extollere potuerimus, licet temporis sui indoli nimis interdum adhaereat, et (quid mirum?) novam quam secutus est methodum non statim ad summam perfectionem adduxerit, verumtamen nemo sine dubio inficias ibit, egregium illum occupare locum inter Saec. XVII Ethices Christianae doctores: et libenter sane unusquisque agnoscet Amyraldum nostrum, qui de ceteris Theologiae disciplinis tam bene meritus fuerat, jure suo et felici cum successu Ethicae quoque Christianae manum admovisse, relictisque spinosis dogmaticis quaestionibus, praestantissima hinc omnibus Christianis praecepta pulchramque normam dedisse, ad vitam bene probeque informandam, ex indole Evangelii Jesu Christi, qui Deum Deique voluntatem perfectissime nobis patefecit,

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

T H E R S

Faint, illegible text below the section header.

I I

Faint, illegible text below the section header.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

I I

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

I I I

Faint, illegible text at the bottom of the page.

THESES.

I.

Amyraldi merita erga Ethicam Christianam in hoc potissimum cernuntur, quod novam secutus sit illius tractandae methodum, historicam nempe viam ingressus.

II.

Calixtus Ethicam a Philosophiae nimis stringentibus vinculis liberavit, eamque cum religionis Christianae placitis arctius conjunxit, ideoque primus inter Protestantes Ethices vere Christianae systema condidit.

III.

Amyraldi doctrina, quam *Universalismum hypotheticum* vocarunt, immerito heterodoxiae suspicionem et accusationem incurrit.

IV.

Sine jure contendit Haag (*France Protest. i. v.*), Amyraldum inter Gomarismum et Arminianismum conciliationem instituere voluisse et conatum fuisse.

V.

Doxologia Orationis Dominicae, quae legitur Matth. VI: 13, spuria est habenda.

VI.

Jesus, Joh. III: 13 minime ascensum suum in coelum praedixit.

VII.

Verbum τούτων, Joh. XXI: 15, interpretandum est ἢ ταῦτα.

VIII.

Ἡ ἐξανάστασις τῶν νεκρῶν, de qua Paulus, Phil. III: 11, loquitur, sensu morali accipienda videtur.

IX.

Epistola Jacobi scripta est a *Fratre Domini*, a Jacobo Alphaei bene distinguendo.

X.

Apoc. I: 9, de Joannis in Patmi insula exilio vestigia inesse, temere a nonnullis negatur.

XI.

Christus se Messiam esse aequalibus suis iis quoque factis probare voluit, quae miraculorum nomine insigniuntur.

XII.

Ad salutem nostram nullae pertinent res, quarum investigatio, tanquam mysteriorum, intellectui humano interdicta sit.

XIII.

Cuique Christiano optime persuadebitur de divina religionis nostrae origine et indole, facto experimento, quod Sospitator noster commendavit, Joh. VII: 17.

XIV.

Mendacium q. d. officiosum non semper vitari potest.

XV.

Ad verum Euangelii praedicationis finem magis tendet omnium factorum, quae ad patefactionem divinam pertinent, et inter haec imprimis Christi vitae, illustratio, quam dogmatum ecclesiasticorum expositio.

XVI.

Quo major in oratione sacra servatur et ostenditur ordo et dispositio ad dialecticæ præcepta exacta, eo major erit auditorum ét in audiendo commodum ét recolendi facultas.